



## CONGREGATIO GENERALIS XC

29 septembris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Moderabitur nonagesimam congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Petrus Gregorius Agagianian.

In hac congregatione, venerabiles Patres, distribuentur relationes circa capp. IV, V et VI schematis *de Ecclesia*, quae suffragationi subicientur crastina, postquam duplex suffragatio facta fuerit de cap. III eiusdem schematis.

Circa hoc, quaesitum est in scriptis ab aliquo Patre utrum liceat uti aliqua methodo, quam quidam episcopatus tamquam bonam immo forte sequendam exhibuerunt; quod nempe unus det suffragium placet iuxta modum, alii vero dent votum, suffragium simpliciter placet. Ad hanc quaestionem ego, de mandato Praesidis, respondi in hesterna congregatione generali et dixi hoc esse contra *Ordinem Concilii celebrandi*.

Unusquisque Pater, qui desiderat modum apponere, debet ipse personaliter modum subscribere et exhibere una cum scheda suffragationis. Hic est modus statutus in *Ordine*. Hic est modus sequendus.

Ceterum omnes Patres frui debent omnimoda libertate in suo suffragio ferendo usquedum decretum vel constitutio non sit approbata; ea vero est approbatio conciliaris quae fit a Summo Pontifice cum Patribus Concilii. Tunc tantum et non antea constitutio vel decretum vim habet. Si ego dico, postquam legi suffragationes: textus est approbatus, intelligo: est approbatus in congregatione generali, non est definitive approbatus. Approbatio conciliaris habetur tantum cum Summus Pontifex cum Patribus Sacri Concilii illum decretum, illam constitutionem approbant. Et hoc dictum sit ad omnem confusionem vitandam, nam non in confusione Dominus!

In hac congregatione generali em.mus ac rev.mus D. card. Paulus Marella, praeses secretariatus pro non-christianis, laetus est distribuere omnibus Patribus fasciculum qui continet aliquas informationes confidentiales, uti dicitur — terminus non est latinus — attamen textus in omnibus, in pluribus linguis redactus est praeter quam in latina.



Distribuet Patribus, attamen distributio non fiet in aula, fiet ad aditus aulae, quando Patres e congregatione egredientur. Patres prope aditus aulae invenient illos fasciculos, quinque linguis exaratos. Unusquisque potest seligere linguam quam callet.

Aliud addam, Patres venerabiles. Quoad modos, qui forte exhibebuntur, possumus certiores reddere omnes Patres quod hi modi attente et perspicue examinabuntur a commissione competenti, etsi forte eorum examen necessarium non esset, quia habita est maioritas requisita.

De hoc Patres certi esse possunt. Nam bonum ipsum Ecclesiae et Concilii postulat, ut textus quam meliores sint, quam perspicui, ita ut in bonum animarum cedant.

Et, ut dixi alia vice, neque radius luminis est obliviscendus. Omnis lux fulgere debet ita ut plena lux, quantum potis est, habeatur.

Lego ergo nomina eorum, qui verbo uti petierunt circa declarationem *de Iudaeis et non-christianis*: em.mus D. card. Ioseph Maria Bueno, arch. Hispalensis in Hispania, exc.mi DD. Franciscus Šeper, arch. Zagradiensis in Iugoslavia, Ivo Plumey, ep. Garuensis in Cameroun, Sergius Méndez, ep. Cuernavacensis in Mexico, Laurentius Nagae, ep. Ura-waënsis in Iaponia, Edmundus Nowicki, ep. Gedanensis in Polonia, Hoa Nguyen Van Hien, ep. Dalatensis in Vietnam, Leo A. Elchinger, ep. coad. Argentinensis in Gallia, Stephanus A. Leven, ep. aux. S. Antonii in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Bernardus Stein, ep. aux. Trevirensis in Germania, Antonius Añoveros, ep. Gadicensis et Septensis in Hispania, Ioannes Heenan, arch. Westmonasteriensis in Anglia, Patricius O'Boyle, arch. Washingtonensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Petrus Sfair, arch. tit. Nisibenus Maronitarum, Ioseph Parecattil, arch. Ernakulamensis in India, Laurentius I. Shehan, arch. Baltimorensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Ioseph Attipetty, arch. Verapolitanus in India, Daniel Lamont, ep. Umtaliensis in Rhodesia Meridionali, Hieronymus Podestà, ep. Avellanediensis in Argentina, Ioseph Tawil, vic. patriarchalis Melchitarum, Ioseph Descuffi, arch. Smyrnensis.

Et nunc procedamus, Patres venerabiles, ad suffragationem prosequendam circa cap. III schematis *de Ecclesia*. Cum textus suffragationis XXXVI iam a congregatione generali approbatus sit, possumus transire ad sequentem suffragationem, nempe XXXVII, pag. 22, quae sic sonat: [*cf. vol. III, pars I, pag. 414*].

Patres clarissimi, videatis notulam, quae adiuncta est, nempe ubi dicitur, pag. 23, secunda: « De secunda phrasi in qua determinatur auctoritas competens », nempe hic proponitur: auctoritas sit coetus territorialis episcoporum. Quod propositum si non placet, iam per se



manet auctoritas competens, Summus Pontifex. Ergo qui dicit *placet*, vult ut auctoritas competens sit coetus territorialis, approbante quidem Summo Pontifice, qui vero dicit *non placet*, iam de se indicat unicam auctoritatem competentem esse Romanum Pontificem.

Placetne an non placet haec propositio cum explicatione adiecta in nota?

PATRUM ORATIONES  
(*De Iudaeis et non-christianis*)

## 1

EM.MUS P. D. IOSEPH M. CARD. BUENO Y MONREAL  
*Archiepiscopus Hispalensis*

*Venerabiles Patres,*

Equidem Oecumenismus sensu stricto ad christianorum unitatem fovendam ordinatur unde proum erat, prouti in sua relatione em.mus Bea explicat, caput de Iudaeis et de non-christianis ab illo schemate disiicere. Aliunde vero omnino necessarium videtur ut sacrosanctum Concilium etiam ad non christianos se vertat, quos etiam Deus vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Dialogus Ecclesiae, caritate plenus, nullum hominem excludere vult, nisi quis seipsum voluntarie excludat: omnes gentes docere, omni creaturae praedicare evangelium est Christi mandatum, quod Ecclesia adimplere semper parata est, caritate erga omnes homines compulsa, qui vere fratres nostri sunt simul ac fratres inter sese quum omnes Deum habere Patrem ipsa ratio naturalis docet, qui solem suum oriri facit super alios et alios. Est ergo et aliqua ratio Oecumenismi latiori significatione sumpti, magni momenti hodie in mundo, iuxta quam, prouti Sanctissimus Pater in sua Encyclica *Ecclesiam suam* memorat, dialogus etiam cum non christianis aperiendus est, et habitudo catholicorum consideranda erga centenos milliones hominum, de caritate erga eosdem, de iis fraterne iuvandis vel de cooperando cum eis, sunt verba em.mi relatoris.

Videtur ergo absonum si declaratio *de Iudaeis et de non-christianis* e concilio exularet.

Ast aliunde, verba heri prolata ab em.mo Tappouni, nomine proprio et aliquorum patriarcharum orientalium, gravi ut puto consideratione dignae sunt. Certe, textus declarationis, ut relator aiebat, quaestiones politicas ullo modo tangit et solam considerationem religiosam prae oculis habet. Attamen efficere non possumus ut, etiam praeter in-



tionem nostram, aliqui ansam ex hac declaratione arripiant improbandi Concilium. Hac consideratione ductus, sequentes emendationes propono:

1. Schemati *de Oecumenismo* addatur tamquam primus appendix declaratio, qua verbum caritatis et invitatio ad dialogum ab Ecclesia catholica ad omnes non christianos amanter offeratur. Titulus huius declarationis opportune esset: De non christianis, sub quo titulo omnes omnino homines includuntur quos Oecumenismus proprie dictus non attingit.

2. Textus huius declarationis inciperet a n. 33 praesentis textus, nempe « Omnes homines Deum ut Patrem habent » usque ad lin. 20, pag. 48. Hos omnes Ecclesia uti fratres amplecti cupit, cum eis dialogum instituere vult, eos caritate prosequi, fraterne iuvare, cum eisdem in omni humano inceptu, maxime autem in pace fovenda atque in humanae dignitatis exigentiis tutandis, cooperare.

3. Post hunc n. 33, n. 34 pressius ad Iudaeos ordinaretur, quos Ecclesia peculiari ratione amplecti vult, ratione communis patrimonii eorum cum christianis, prouti in actuali n. 32 declaratur.

4. Peto ut ex isto n. 32 expungantur verba: « Ideo curent... » etc., linn. 28-32; nemo cordatus hodie populum israeliticum ut gentem reprobam habet, neque iam ipsis incriminantur ea quae arcano Dei mysterio evenerunt abhinc viginti saeculis. Sola eorum recordatio, mihi videtur, molesta ipsis erit.

5. Addatur alia paragraphus sub distincto numero, qua significetur Ecclesiam amplecti etiam velle copiosam familiam illam Musulmanorum, quibuscum patrimonium commune etiam quodam modo habemus, uti dicitur in linn. 21-24, pag. 48.

6. Memorentur etiam numerosae familiae quae, sicut arena in litore maris, Indiam, Sinas, Iaponem et alias regiones implent, qui Confucium vel Buddham sequuntur, aut sub aliis formis Deum quasi attrahere conantur quum non longe ab iis sit.

7. Nec etiam malum esset si sub alio numero, verbum saltem mitteretur ad eos qui Deum ignorant, aut etiam eum e cordibus eradicare volunt; si tamen bona fide hominem, qui ad imaginem Dei creatus est, et mundum quo invisibilia Dei etiam revelantur, iuxta sensus naturalis rationis considerant. Ipsi enim a voluntate Dei salvifica, et a Christi redemptione nullatenus excluduntur, atque de eis etiam Ecclesia curam caritate formatam habet.

8. Claudatur declaratio cum damnatione omnis speciei discriminationis prout in actuali n. 34.



9. Post declarationem de non christianis ad modum alterius appendicis, esset declaratio altera *de libertate religiosa* seu de iure personae et communitatum ad libertatem in re religiosa; quia principia huius declarationis universalia sunt sive pro christianis sive pro non christianis.

Puto quod fortasse istae leviores mutationes structurae schematis aliquatenus dissipare valeant periculum quod supra memoravimus. Dixi.

## 2

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS ŠEPER

*Archiepiscopus Zagrabienensis*

*Venerabiles Patres,*

*Iam*<sup>1</sup> in II sessione audivimus plures etiam eximios Patres vel contra ipsum textum declarationis vel contra opportunitatem loquentes. Haec oppositio non ex rationibus theologicis procedebat, sed potius ex aliquo timore, ne declaratio falsae interpretationi ansam praeberet. Sed nemo qui bonae voluntatis est in schemate elementum politicum conspiciere poterit. Ex explicatione autem quae hic in aula data est, clare patet nec tendentiam ullam politicam declarationi subiacere.

Rationes autem, quae declarationem postulant, graves sunt.

1. Ecclesia cum populo Iudaico intime connexa est. In ipsa liturgia nostra Ecclesia sese saepe cum populo Israel aliquo modo identificat. Quotidie in Canone Missae e. g. Abraham dicimus Patriarcham *nostrum*. In Vigilia autem Paschali oramus, « ut in Abrahae filios — *et sensus est Ecclesia — ut in Abrahae filios*<sup>2</sup> — et in Israeliticam dignitatem totius mundi transeat plenitudo »...<sup>3</sup>

2. Coram persecutionibus, quas Iudaei non semel passi sunt, Ecclesia indifferens esse nequit. Est enim...<sup>4</sup> *Mater* omnium populorum, etiam illorum qui eam qua talem nondum agnoscunt. Nam ex sollicitudine materna, quam erga populos demonstrat, mater esse agnosceretur. Persecutiones atrocissimae, quibus Iudaei nostro saeculo expositi fuerunt, declarationem Concilii urgent. Hic in aula certe sunt, qui — sicut et ego ipse — ex personali experientia sciunt et testificari possunt, quot et quanta pati debuerunt personae innocentes, solum ex ea causa quod ad populum Israeliticum pertinebant.

3. Persecutiones et odia contra Iudaeos saeculis antea quandoque iustificabantur rationibus, quae apparenter ex patrimonio christiano desumptae erant. Aequitas, prudentia et sinceritas exigunt, ut conatibus similibus per declarationem Concilii tandem finis ponatur. Haec est occasio singularis Concilii Oecumenici, quando nulla ratio



opportunitatis praevalere debet, sed spiritus evangelicus et munus propheticum Ecclesiae quod exigit ut veritas sine ambiguitate proclametur, clare appareat oportet. Neminem fugit, de cetero, quam bonam impressionem in universo mundo fecit illa declaratio, quam episcopatus Germaniae in pervigilio I Sessionis huius Concilii hac de re dederat! Hodie totus mundus talem declarationem a Concilio expectat!

Ad schema ...<sup>5</sup> propositum quod attinet, nostro iudicio, aliqua emendatione indiget, ut verus et realis dialogus cum Iudaeis institui possit, in sensu litterarum encyclicarum *Ecclesiam suam*. Uti nunc iacet, schema magis doctrinale quam pastorale apparet. Loquitur potius de relatione Ecclesiae ad populum Iudaeorum, qualis erat in historia Veteris Testamenti, paucis autem tantum convertitur ad Iudaeos *hodiernos*. Necessesse est, ut textus incipiat a populo Iudaico hodierno et a descriptione situationis et relationis, in quibus Ecclesia et Iudaei ad invicem *hodie* inveniuntur. Proponimus igitur reordinationem materiae, ut magis appareat nos cum Iudaeis hodiernis colloquium habere.

Primo describantur quae sub aspectu religioso nos hodie cum Iudaeis communia habemus. Id est:

1. Libros sacros Antiqui Testamenti, *uti anno elapso dixerat Summus Pontifex Paulus VI membris alicuius associationis iudaicae*:<sup>6</sup> « Adest nobis grande patrimonium commune: Biblia, sacra Israelitis et Christianis » ...<sup>7</sup>

2. Communem habemus spem salutis per Messiam venturum. Triste quidem discrimen adest in intellectu istius spei salutis per Christum, at idea ista religiosa — solo iudaismo et christianismo propria — maximi momenti est et nullatenus praetereunda.

3. Communem habemus historiam salutis, quam veram historiam esse credimus. Haec historia nobis et Iudaeis ex parte eadem est, ex parte autem intima necessitudine coniuncta. Etenim:

Historia salutis Ecclesiae usque ad Christum una et unica erat cum historia Synagogae et in hac inclusa. Hic aperte intexantur ea quae in schemate in linn. 1-16 continentur.

Christus, Maria, apostoli ex populo Iudaico erant. Primus Ecclesiae nucleus fuerunt Iudaei: vinum ex vite David, cui aquae populorum dein admixtae sunt, ut in sanguinem Christi — sanguinem Novi et Aeterni Foederis — transeant et convertantur. Plenitudo gentium nondum in « Israeliticam dignitatem » transiit, sed historia Ecclesiae proprie in hac semper progressiva admixtione plenitudinis gentium consistit.

Exspectatio eschatologica futurae adunationis seu accessus populi Iudaici ad plenitudinem populi Dei (cf. linn. 23-27) ita describenda est, ut non proselytismum sapiat, sed ut clare pateat initium et finem



historiae Ecclesiae et populi Iudaici in idem incidere. Modus enim et tempus huius adunationis est mysterium in divitiis sapientiae et scientiae Dei (cf. *ad Rom.* 11<sup>8</sup>).

Deinde ponatur propositum dialogi nostri cum Iudaeis hodiernis illa quae dicuntur in linn. 17-22, sed complenda. Scopus ultimus religiosus dialogi est, ut quam citius spes eschatologica de adunatione Iudaeorum in novo Populo Dei cum nobis fiat, sive ut spes illa acceleretur. Eum in finem necessaria sunt:

In indaganda et pervestiganda archaeologia et historia iudaica, quae simul est christiana, fraterna et sincera cum Iudaeis collaboratio; in scrutandis Scripturis Sacris prudens cooperatio; in omnibus autem caritas et mutua aestimatio.

Post haec locus esset reprobationi antisemitismi, quod in textu exstat linn. 20-22. Noto tamen hoc melius expressum fuisse in textu priore ubi sermo est de « persecutoribus » (in novo textu « vexationes ») et quidem « sive olim sive nostris temporibus », quod in novo textu omissum est.

Praesertim autem filii Ecclesiae vocantur, ut curent evitare omnia, quae populi Iudaici offensiva essent etc. Hic ponatur ultimum incisum n. 32 ...<sup>9</sup>

Sic schema declarationis magis unitum esset et efficacius elementa colloquii nostri cum Iudaeis hodiernis praedicaret, nihil autem perspectivae historicae et doctrinali adimeret.

Necessarium deinde erit, ut Directorium magis particulare conficiatur, quo dialogus cum Iudaeis regulatus sit. Apud Secretariatum autem pro unione specialis bene ordinata Sectio pro relationibus cum Iudaeis — modo permanenti — constituatur. Gratias.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> deest. <sup>2</sup> deest. <sup>3</sup> (Oratio post Lect. II).  
<sup>4</sup> Ecclesia. <sup>5</sup> autem. <sup>6</sup> Hac de re Summus Pontifex Paulus VI in audientia concessa membris "Study Mission United Jewish Appeal" die 14 octobris 1963 dixerat. <sup>7</sup> (*L'Osservatore Romano*, 16 oct. 1963). <sup>8</sup> (cf. *Rom.* 11, 25. 33). <sup>9</sup> (linn. 28-32).

### 3

EXC.MUS P. D. IVO PLUMEY

*Episcopus Garuensis*

*Venerabiles Patres, carissimi Observatores et Auditores,*

Optima videtur declaratio de Iudaeis et de non christianis. Attamen, proponere vellem ut in paragrapho ubi agitur de Musulmanis



addatur, post verba « qui unicum Deum personalem atque remuneratorem adorant », *eundem ac nostrum* adorant.

Adhuc, secundum strictam logicam, Concilio placeat post illa quae de duodecim millionibus Iudaeis dicuntur, quaedam addere circa quadringentos milliones Musulmanorum, qui sicut nos Iudaeique Deum adorant, eiusque unicitatem tenaciter proclamant, cunctos errores paganorum energice reiicientes, et fidem suam usque ad Abraham referentes.

Huius quidem istius additionis primam rationem invenio in facto relationum inter Papatum et maiorem partem Statuum islamicorum, atque in relationibus et contactibus pacificis, aliquando etiam in collaboratione et amicitia episcoporum missionaliumque cum civilibus personis, imo cum auctoritatibus politicis, quae saepe saepius operam nostram educationis atque caritatis sincere exaltant.

Secundam accipio in casu sacerdotum quos ad districtus ubi praecipue vivunt Musulmani, ut ministerium exercent quod pluries ingratum vocatur propter exiguos effectus obtentos, ita ut nonnumquam confratres eos inutiles putant, dum pondus aestusque laboris ferre debeant apud tribus paganas quae catervatim ad catechumenatum et baptismum accurrunt... Opus habent illi minus felices maioris solatii, et silentium Concilii tentationes depressionis animi vehementer auget.

Certo certius viciniore nobis exstant Iudaei, ut clarissime demonstrat textus praedictus. Attamen, non desunt spei fundamenta.

1. Musulmani, magis quam omnes alii non-christiani, mysterium Christi comprehendunt. Abrahami heredes, Iesum plene recognoscunt tamquam primum in sanctitate inter prophetas, virginaliter de B. Virgine Maria natum, et ipsam Mariam tamquam maximam Abrahae filiam. Tum virginitatem Mariae, tum virginalem Iesus nativitatem ferventer tuentur. Huc autem notandum venit quod in tota creatione solus Iesus, nomine matris suae, designatur: videlicet « Iesus filius Mariae ».

2. Sanctuaria Mariae pie visitant, processiones in eius honore sequuntur, imagines eius devote colunt, nomen eius filiabus saepe tradunt ac ubique protectionem eius implorant: quod saepissime refertur in India, Pakistano, Mozambico, Aegypto, Persia, Turchia et, praecipue, Ephesi, Gubernio benigne probante atque *opportunitatem*<sup>1</sup> concedente.

3. Optimum videtur verba Gregorii Papae VII in litteris suis Sultano Africae septemtrionalis evocare: « Hanc itaque caritatem nos et vos specialis nobis quam ceteris gentibus debemus, qui unum Deum, licet diverso modo, credimus et confitemur, qui eum creatorem saeculorum et gubernatorem huius mundi quotidie laudamus et veneramur »...<sup>2</sup>



Proprium est Concilii Vaticani II, revera illud moventibus ac afflantibus Ioanne XXIII, piissimae memoriae, necnon et Paulo VI, feliciter regnante, ut *fidens dialogus* cum omnibus hominibus praesentis temporis, instituat. Huiusmodi autem sollicitudo in declaratione adeo fastidium adipiscitur ut hominum oculi ad illud sponte sese convertant. Quocirca, hoc evangelico spiritu imbuti, peropportune illi christiani, qui apud Musulmanos vitam degunt, cum istis modo omnino fraterno sese habebunt. Quod ad reliquos attinet christianos, eos scil. qui distantes sunt, ab eisdem iure expectatur ut momentum atque utilitatem praedictae sollicitudinis quamprimum percipiant et magno pretio habeant.

Ita, demum, dilatabitur amicitia plurium sacerdotum atque laicorum, qui ab annis conati sunt *viam amoris* inter christianos, Iudaeos et Musulmanos, i. e. inter filios Abrahae praeducere et paulatim latius extendere, ut iter ad maiorem cognitionem « *viarum Dei* » inter homines bonae voluntatis aperiatur.

Quare, valde optandum est — multorum episcoporum est votum, specialiter in Africa —, ut in Ecclesia catholica commissio specialis vel secretariatus pro Musulmanis instituat.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> opportunitates. <sup>2</sup> (MIGNE, PL t. 148, p. 450).

#### 4

EXC.MUS P. D. SERGIUS MÉNDEZ ARCEO

*Episcopus Cuernavacensis*

*Venerabiles Patres,*

Quaestio de populo iudaico, quae prout relatio card. Bea clarissime effert, expressa voluntate Ioannis XXIII sanctissimae memoriae, introducta est, nunc nobis prostat tamquam declaratio quam substantialiter approbandam sese puto, nam omnino impossibile esset schema totum Oecumenismi ita noviter elaborari ut perspectiva illa Oecumenismi catholici perspicue elucesceret, quae nempe originem duceret a libertate religiosa tamquam a radice et primo capite, et per mundum atheisticum, per homines religiosos non adunatos, per religiones non christianas, per Islamismum, per populum iudaicum, per christianos non catholicos discurreret in singulis capitibus.

Declaratio approbari debet, quia etsi tractat etiam de hominibus non christianis, populus iudaicus (non Status Israel) praesentatur in sua



religiosa et unica singularitate, quam ex revelatione et historia Ecclesia habet.

1. Ex revelatione in primis scimus quid sit populus Iudaicus ante Christum, tempore Christi et post mortem et resurrectionem Christi.

2. Historia Ecclesiae inter alia nos admonet de malis populo iudaico a christianis cuiuscumque ordinis inflictis, non tantum quidem propter rationes religiosas, sed certissime propter erroneam radicatus interpretationem revelationis et practicam oblivionem legis iustitiae et caritatis.

Unde sequitur declarationem esse simul oboedientiam humilem et laetam Evangelio et reparationem generosam et perfectam malorum gestorum.

Sicut in casu declarationis libertatis religiosae, in qua ab iis quae contra libertatem religiosam, nomine Evangelii, a christianis decursu saeculorum patrata sunt, nunc, etsi mundus adhuc *dubitat*,<sup>1</sup> agnitione libertatis pro omnibus hominibus, Deus, qui facit oriri solem super bonos et malos ...<sup>2</sup>, nos purgat ut fructum plus afferamus ...<sup>3</sup>, ita in hac declaratione circa populum iudaicum de gestis non laudabilibus nos purificamus.

Schema revera continet talia elementa ut imago populi iudaici ex revelatione nobis fulgeat brevis et concinna. Sed legendum illud factum omissionis in secundo schemate excusationis a Deicidio debet corrigi forsitan ope formulae quae in priori schemate inveniebatur, in qua etiam meliori modo quam in praesenti schemate reiiciebatur Maledictio, quae, ut passim fertur, penderet super populum iudaicum.

Desiderandum esset ut explicita etsi generica reiectio erroneae interpretationis quorundam textuum maxime usitatorum ab antisemitis includeretur, e. g. *Mt.* 27, 25, ...<sup>4</sup> etc.

Praeterea formula seligenda est quae veritatem expectationis a S. Paulo edoctae clarissime extollat et simul suspicionem nullam insinuet intentae destructionis sociologicae populi iudaici. Inter alias possibiles formulas hanc propono quia quae in secundo schemate de novo introducebatur, inter plurimos iudaeos confusiones genuit.

« Ecclesia enim docente apostolo Paulo ...<sup>5</sup> fide inconcussa et desiderio magno divitias exspectat, quas populus Israel, munus adimplendo a Deo ipsi assignatum in historia salutis ...<sup>6</sup>, mundo afferet, cum iterum asserente apostolo ...<sup>7</sup>, aliquando hunc Christum quem ipse dedit, agnoscat et ita propriam plenitudinem attingat ».

Agnitio enim Christi donum erit populi iudaici pro mundo et non destructio sed adimpletio suis ipsius vocationis.

Imaginem biblicam populi iudaici, non integra quidem, sed vera sic restituta, non onus sed gaudium pro Ecclesia erit agnitio et compunctio



et deploratio gestorum contra populum iudaicum, ita ut in posterum nemo inter christianos praetextu religionis, sive explicito sive larvato, antisemitismum colere et fovere audeat. Talis agnitio magis explicita inveniebatur in priori schemate, pag. 4, linn. 8-10 et nunc ad minimum reducta insufficiens exstat in n. 32, linn. 20-21.

Melius esset non dicere « sicut iniurias hominibus ubicumque illatas severe reprobat » quasi ageretur de casu quodam generico, quod quidem excluderetur per particulam « magis » *in vetere schemate*,<sup>8</sup> sed simpliciter dicere « Ecclesia odia et persecutiones contra Iudaeos, sive olim sive nostris temporibus perpetratas, *addendum esset*<sup>9</sup> « praecipue quae quocumque modo a christianis ortum habuerint, materno animo deplorat et damnat ».

Hac *declaratione*<sup>10</sup> et damnatione illi omnes christiani concluduntur qui ob praeiudicium religiosum tam proclives sunt ad complexus historicos rudimentarios sibi efformandos vel admittendos, pro quibus non est in mundo motus quidam vel coetus hominum qui sit vel videatur anticatholicus, cuius originem aut existentiam non tribuant populo iudaico, Francomuratores e. g., cum quibus non dubito quin quam primum pacem habeamus.

Optimum quidem esset vitare ambiguitatem in usu vocabulorum ita ut plane intelligatur nos constanter agere de populo iudaico prout in revelatione apparet et a Deo indigitatus perseverat.

Ultimo tandem loco, sicut in priori schemate, quod longe superat alterum, agendum esset de iis quae ad bonas relationes in posterum fovendas *vel*<sup>11</sup> valde conferent. Ibi quaedam adprecatio ad Iudaeos maxime opportuna videretur.

Faxit Deus ut Iudaei omnes per orbem diffusi rectitudinem animorum nostrorum, humilitatem, necnon fidelitatem verbo Dei perspiciant et una nobiscum testimonium reddant mundo agnitionis communis Dei sese in Scripturis nobis indesinenter ostendentis. Dixi.

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> dubitet. <sup>2</sup> (Mt. 5, 45). <sup>3</sup> (Io. 15, 1).  
<sup>4</sup> Mt. 24, 2 et par.; Rom. 9, 22. <sup>5</sup> (Rom. 9-11). <sup>6</sup> (Rom. 11, 1-25; 30-32). <sup>7</sup> (Rom. 11, 12. 15). <sup>8</sup> deest. <sup>9</sup> (additio mea). <sup>10</sup> deploratione. <sup>11</sup> deest.

*Secretarius generalis:* Communico exitum suffragationis modo peractae, nempe XXXVII:

Praesentes votantes . . . . .	2.228
Dixerunt <i>placet</i> . . . . .	1.523
<i>non placet</i> . . . . .	702
Suffragia nulla . . . . .	3



Ergo textus est approbatus a congregatione generali.

Patres venerabiles, rogamus vos ut in suffragatione facienda, suffragium bene et clare exprimatur; secus nostri assignatores locorum debent cursitare per aulam ut interrogent Patres quidnam voluerint dicere. Suffragatio fit per signum, vel crucem in casella apposita.

Nunc lego, Patres venerabiles, textum suffragationis sequentis.

Suffragatio XXXVIII, pag. 23: « Supremae auctoritati competit decernere, utrum hic diaconatus viris maturioris aetatis etiam in matrimonio viventibus conferri possit ». Placetne an non placet?

## 5

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS SATOSHI NAGAE

*Episcopus Urawaënsis*

*Venerabiles Patres,*

Loquor nomine omnium episcoporum Iaponiae. Gaudendum est certo quod in hac declaratione altera, additi sunt nn. 33 et 34 qui agunt de modo quo nos gerendi erga non-christianos. Liceat tamen de his ultimis, praesertim de n. 33 sequentes proponere emendationes.

1. *De titulo declarationis.* Titulus nostrae declarationis sonat: *de Iudaeis et de non christianis*. Attamen, cum Iudaei etiam non sint christiani, in titulo melius diceretur: *de Iudaeis et de ceteris non christianis*.

2. *De citatione textuum Sacrae Scripturae.* In n. 33 ut fundamentum theologicum nostrae habitudinis erga non christianos, ponitur universalis hominum fraternitas sub communi Patre caelesti. Quae fraternitas universalis deinde variis textibus Sacrae Scripturae illustratur.

Notatur tamen quod plures textus citati vel allati ut conferendi, non sunt ad rem; quia non agunt de fraternitate universali *omnium hominum*,<sup>1</sup> sed potius aut *agunt*<sup>2</sup> de fraternitate inter iudaeos aut de fraternitate inter christianos. Ita, e. g., textus *Mal.* 2, 10 agit de fraternitate inter iudaeos; *2 Par.* 19, 7 tractat de modo agendi in iudicio iudaeorum; ad *Eph.* 6, 9 et ad *Col.* 3, 25 agunt de modo quo domini christiani servos suos tractare debent et vice versa; *1 Petr.* 1, 17 et *1 Io.* 4, 20 agunt de caritate inter christianos. Unde alii textus biblici aptiores directeque de fraternitate hominum universali tractantes seligendi sunt.

3. *De ipso argumento theologico.* Textus noster christianos vehementer obsecrat ut non christianos diligant; et quidem, quia qui fratres, ad imaginem Dei creatos non diligunt, reapse Deum Patrem diligere non possunt. Quia tamen, relatio humana non est unilateralis sed est reci-



proca, ad mutuam habitudinem fraternam inter christianos et non christianos inculcandam, praeter illam rationem sublimem et stricte christianam, etiam altera ratio cuiusdam fraternitatis in communi natura, dignitate sortique communi omnium hominum fundatae, clarius exponenda est, utpote facilius intellectu *et acceptabilis*<sup>3</sup> pro non christianis, ad quos *etiam*,<sup>4</sup> veluti « omnes bene cordatos homines » ut dicit textus noster, declaratio nostra *dirigitur*.<sup>5</sup> De cetero hoc modo proceditur etiam in prooemio schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* et in Litteris Encyclicis *Ecclesiam suam* quando sermo est de dialogo instituendo cum mundo et non christianis.

4. *De modo concreto se gerendi cum non christianis*. Recte in textu, in pag. 48, in linn. 17-20, affirmatur sincera voluntas nostra agnoscendi in doctrinis et opinionibus non christianis radium Veritatis, quae illuminat omnem hominem. Et ita feliciter reiicitur ille modus iudicandi et condemnandi a priori, et sub unico vocabulo « paganismi », omnia quae inveniuntur in religionibus non christianis, tamquam pagana et proinde religioni nostrae contraria, et positive affirmatur habitudo nostra fraterne amplectendi sincera conamina non christianorum quaerentium *quidem*<sup>6</sup> ipsam Veritatem, necnon inveniendi vestigia Veritatis ab iisdem possessa tamquam praeparatio quaedam ad Evangelium. Deest tamen in nostro textu mentio de alio modo quo concrete christiani cum non christianis convivere et cooperari possint et debeant. Commendari etenim debet spiritus cooperationis cum non christianis in promovendis valoribus vere humanis sic e. g. in tuenda moralitate sive privata sive publica; in promovenda iustitia sociali; in excolendis operibus assistentiae socialis; in fovendis scientiis et bonis artibus.

5. *Cum*<sup>7</sup> mentio specialis Musulmanorum prout exstat in schemate, *veniat*<sup>8</sup> nimis ex abrupto, *ad evitandam interpretationem erroneam apud*<sup>9</sup> non christianos. Si eam servare placet, saltem modo generali similis mentio facienda erit de aliis religionibus magni nominis.

*Concludo*. Ex dictis *concludere liceat*<sup>10</sup> quod textus vario sub respectu revisione indiget. Utile videtur in revidendo textu cooperatio habeatur ex parte « Secretariatus pro non christianis » a Summo Pontifice recenter instituti. Dixi.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> deest.      <sup>2</sup> deest.      <sup>3</sup> deest.      <sup>4</sup> deest.  
<sup>5</sup> appellat.      <sup>6</sup> deest.      <sup>7</sup> *De Musulmanis*.      <sup>8</sup> venit.      <sup>9</sup> imo a non  
musulmanis interpretari possit nos ipsos inferre aliquam discriminationem inter.  
<sup>10</sup> patet.



## 6

EXC.MUS P. D. EDMUNDUS NOWICKI

*Episcopus Gedanensis**Venerabiles Patres,*

Nomine episcoporum Poloniae, in hoc Sacro Concilio coadunatorum, liceat mihi aperire, declarationem alteram *de Iudaeis et de non christianis* magis placere declaratione priori.

Nonnulla tantum animadvertere videntur, ac quidem:

...<sup>1</sup> *De titulo.* Titulus declarationis aptius inscribatur: *de Iudaeis deque aliis non christianis*. Ratio est, cum etiam Iudaei, de quibus in declaratione, non christiani sint.

...<sup>2</sup> *In lin. 2.* Post verba: « electionis suae », addatur verbum: « prophetica », ac quidem praecisionis causa.

...<sup>3</sup> *In lin. 13.* Post verba: « natos esse », addantur verba: « Petrum ceterosque » eadem praecisionis causa.

...<sup>4</sup> Post verbum « vexationem », addantur verba: « ac persecutionem ».

Ratio autem haec est: Declaratio prior vocabulo « persecutio » utebatur. Ideo vel magis vocabulum, « vexatio » in praeiacenti declaratione adhibitum, sat vehementem disceptationem in ephemeridibus provocavit, utpote non adaequatum tormentis a Iudaeis passis ac cum in usu saltem mundi huius temporis haud synonymam habeat significationem.

Parum iuvat argumentum quorundam, quod Cicero in casu, de quo, praecise vocabulo « vexatio » usus fuisset, cum vocabulum « persecutio » nonnisi pro inquisitione iudiciali reservavisset. Etenim Ecclesiae sanctae utendum esse videtur lingua intelligibili mundo huius temporis potius quam exquisita arte ciceroniana, eo vel magis, cum etiam apud Ciceronem vocabulum « vexatio » non semper habuerit significationem synonymam. Ita, e. g., Georges in glossario suo ...<sup>5</sup> affert, Ciceronem citans, « vexationem » significare quoque posse « Misshandlung » seu « maltrattamento ».

Ceterum ipsemet em.mus relator ultima feria VI in relatione super declaratione altera semper nonnisi vocabulo « persecutio » usus est.

...<sup>6</sup> *In linn. 28-31.* a) Verba in linn. 28-30 ita redigantur, ut positiva mandata pastoralia referant, b) textus *vero*<sup>7</sup> in linn. 30-31 deleatur. Rationes sequentes videntur:

Ad a): Quae nostris diebus coram oculis nostris summae iniuriae,



immo crudelitatis ferocissimae, populo iudaico allata sunt, non solum corda nostra vehementi dolore afficiunt ac eo suaviore amore christiano, intime quidem compatienti, populo illo appropinquare, sed demonstrarunt quoque, quantopere mundus Ecclesia Iesu Christi uti Matre et Magistra indigeat. Re sane vera, quae exposita sunt in n. 32 declarationis alterae, usque ad lin. 26, illam Ecclesiae sanctae teneram virtutem illudque providentiale eius munus luculenter probant.

At quo pulchrius et magnanimius sonat praedicta illa explanatio doctrinalis, eo magis praeparca in linn. 28-30 apparet pastoralis conclusio, tantopere quidem, ut absone commovere possit. Restrigitur enim ad duo praecepta, negative concepta, scil. quid agendum *non* sit.

Pastoralis igitur conclusio nova indiget redactione ac quidem in forma positiva.

Ad *b*): Monitum *vero*<sup>8</sup> in linn. 31-32, tantopere parce ac coarctato modo redactum, cum nempe — aliter ac in declaratione priori — de Iudaeis tantum nostrorum temporum doceat, saltem confusionem ex una, reactionem ex altera parte provocare potest, ideoque potius omitendum videtur.

...<sup>9</sup> Pag. 8, *post lin. 20*, addantur verba, quibus populis non christianis spes christiana patefiat de eorum adunatione cum Ecclesia Sancta Dei. Ratio est: *a*) cum eadem spes de essentia sit salvificae missionis Ecclesiae, et *b*) cum spes illa perpulchre patefacta fuerit Iudaeis ideoque heic praetermissa saltem admirationem provocare possit. Dixi. Gratias.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> I. Pag. 7.    <sup>2</sup> II. Pag. 7.    <sup>3</sup> III. Pag. 7.  
<sup>4</sup> IV. Pag. 7 in lin. 21.    <sup>5</sup> ed. V.    <sup>6</sup> Pag. 7.    <sup>7</sup> deest.    <sup>8</sup> deest.  
<sup>9</sup> VI.

## 7

EXC.MUS P. D. SIMON HOA NGUYEN VAN HIEN

*Episcopus Dalatensis*

*Venerabiles Patres,*

Omnino placet huius declarationis adiunctio quae non tantum opportuna sed et urgens mihi videtur: nam Ecclesia Dei, sicut ipse Christus, non tantum ad christianos (nemo christianus erat in suo adventu) sed ad omnes filios Dei dispersos quos congregaret in unum, missa est. Ad hunc finem Ecclesia cum omnibus sine exceptione ulla, debita tamen via, ad Dei gloriam et salutem animarum non vero tantum ad pacificam conviventiam, frequentes et amicales contactus inire debet, atque, re-



licto antiquioris iuridismi ac triumphalismi sensu, sese ad caritatis spiritum decisive convertit. Mihi *tamen*<sup>1</sup> liceat aliquas observationes facere.

1. *De Iudaeis*. In quolibet dialogo ad bonum fructum obtinendum requiritur inter colloquentes, animi dispositio sympathica. Porro, relate ad ...<sup>2</sup> Iudaeos, puto eos a nobis iure exspectare mentionem de *Moyse*, quem maxime venerantur ut ducem ac legislatorem. *Ita*<sup>3</sup> quoque fecit Christus, perfectionem suae doctrinae referendo quidem ad Abraham et Patriarchas, magis tamen ad Moysen (legem) et Eliam (prophetas) cf. *Mt.* 5, 17. Item et in Transfiguratione « Ecce apparuerunt illis Moyses et Elias cum eo loquentes »...<sup>4</sup>

Item quoque invenitur in schemate *de revelatione* ...<sup>5</sup> « in populum magnum quem post Patriarchas, per Moysen et Prophetas erudiret ».

Proinde in n. 32, pag. 7, lin. 3, addendum esset nomen Moysis « iam apud Patriarchas per Moysen et Prophetas erudiret ».

Item in lin. 5 addatur « duce Moyse »: « et in populi exitu, Moyse duce, e terra servitutis salutem Ecclesiae mystice praesignari »...<sup>6</sup>

In lin. 22: opportune videtur addendum esse « odia et vexationes contra Iudaeos, *undequaque obvenierint vel obveniant*, deplorat et damnat ». Ita enim dicitur in schemate *de Oecumenismo* relate ad christianos non catholicos idem accommodatius dicendum esset de Iudaeis eo magis quod eorum amaritudo directe praeteritum respicit, a certis coetibus christianis provocata. Per talem culpae discretam agnitionem et universalem facti reprobationem Sanctum Concilium gratitudinis ac fiduciae sensum ex parte Iudaeorum absque dubio suscitabit...<sup>7</sup>

2. *De non christianis*. Plus quam dimidia pars populationis totalis mundi non sunt nec christiani nec Iudaei. Concilium bene agit verbum de eis dirigendo. Inter eos plures sunt nationes quae, licet sub duro iugo communistarum oppressae, in quorum manus mea Patria iamiam incidit, fidem in unum Deum supremum caeli et terrae Dominum profitentur doctrinamque moralem naturalem observant ac quasi praedispositi sunt ad libenter amplectendam fidem catholicam, Dei gratia adiuvante, si Evangelii lumen tandem aliquando eos attingat.

De eis *ergo*<sup>8</sup> aut mentio fiat sicut de Musulmanis aut nihil dicatur nec de unis nec de aliis, sicut bene notaverunt em.mi oratores heri.

Erga eos omnes optime commendatur vera caritas quae totum hominem respicere debet: corpus et maxime animam, omnibus in modis possibilibus: affectu et effectu, verbo et opere. In caritate *vere*<sup>9</sup> exercitio, affabilitatem ac conatum comprehensionis comitetur humilitas, abiiciendo omnem superioritatis complexum ac desiderium abrogandi *ea*<sup>10</sup> quae in eorum cultura, doctrinae revelatae non sint opposita.

Item notandum est quod aliquando in ephemeridibus christianis,



quaedam photographiae praesentatae sunt, quae genti evangelizandae honori non sint, vel scripti sunt articuli, describentes usus vel modos agendi vivendique harum nationum, qui caritatem parum sentiant, eo fine ut lectores commoveantur ac largas manus aperiunt; attamen hi modi potius difficultates apud evangelizandos suscitant et dialogi via penitus clauditur.

Denique in catechesi, ne amplius in infernum detrudantur quotquot non sint catholici, quia salus dependet a Christi gratia et subiecti fide.

Iuxta has considerationes optarem ut in n. 33, pag. 8, lin. 18 scribatur: « Magna cum observantia consideremus *modos agendi et vivendi*, opiniones et doctrinas quae... etc. ».

Et n. 34, lin. 34, dicatur: « eis praescribit ut diligant, *verbo et opere*, non tantum proximum suum *sed inimicos suos* ».<sup>11</sup> Gratias.

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> deest. <sup>2</sup> fratres. <sup>3</sup> Sic. <sup>4</sup> (*Mt.* 17, 3).  
<sup>5</sup> n. 3, pag. 6, lin. 25. <sup>6</sup> lin. 19. Cum dialogi via non sit unica ad mutuam cognitionem et aestimationem promovendam, addendum esset vox « *speciatim* » et scribatur: « Aestimationem quae *speciatim* studiis theologicis, fraternis colloquiis, *communi S. Scripturae lectione ac psalmorum recitatione*, obtinetur ». <sup>7</sup> lin. 3, n. 3, pag. 8, mutetur vox « *renuimus* » in aliam propter euphoniā (triplex *re*). <sup>8</sup> deest. <sup>9</sup> deest. <sup>10</sup> deest. <sup>11</sup> deest.

*Secretarius generalis:* Notum facio exitum suffragationis XXXVIII:

Praesentes votantes . . . . .	2.229
Dixerunt <i>placet</i> . . . . .	1.598
<i>non placet</i> . . . . .	629
Suffragia nulla . . . . .	2

Ergo textus est probatus a congregatione generali. Nunc transeamus ad ultimam suffragationem.

Velitis attendere, Patres! Haec ultima suffragatio per duo commata proponitur. Sed duorum commatum aliud aliud excludit. Quapropter suffragatio nunc proponitur tantum hac prima formula, nempe primo commate: « vel imo iuvenibus idoneis quibus non imponatur lex caelibatus ».

Evidenter hoc comma supponit periodum praecedentem, ita ut compleri sic possit: « Supremae auctoritati competit decernere utrum diaconatus conferri possit iuvenibus idoneis quibus non imponatur lex caelibatus ».

Ergo suffragatio fiet tantum pro hac phrasi quam legi et quam repeto: « Supremae auctoritati competit decernere utrum hic diaconatus



conferri possit iuvenibus idoneis quibus non imponatur lex caelibatus ». Et sufficit. Haec expressio est suffraganda.

Et aliud comma, quispiam potest quaerere? Aliud comma decidetur automaticè ex responsione ad primum. Nam si, v. g., Patres dicent maiore parte requisita « Placet » ad propositionem factam, statim corrumpitur secundum comma. Si vero Patres dicent « Non placet » ad primum comma, iam stat secundum comma.

Suffragatio ita est proposita et ego explicavi clarius quam potui. Attamen repeto textum propositionis suffragandae: utrum placeat an non placeat Patribus haec propositio? Lego lente, ita ut scribi etiam possit: « Supremae auctoritati competit decernere utrum hic diaconatus conferri possit iuvenibus idoneis quibus non imponatur lex caelibatus ». Placetne an non placet haec propositio, Patres venerabiles?

## 8

EXC.MUS P. D. ARTURUS ELCHINGER

*Episcopus tit. Antandrinus, coad. Argentinensis*

*Patres venerati, Periti industrii, Observatores Auditoresque carissimi,*

*Parcite mihi si adhuc sermo fit de dialogo cum Iudaeis et quidem de huius dialogi momento et conditionibus.<sup>1</sup>*

Post ultimum bellum, quod erga Iudaeos maximae atrocitatis fuit, in civitate Strasbourg, ubi ministerium pastorale exerceo, magna Synagoga aedificata est, quae vocatur « Synagoga Pacis ». Frequentes occasiones mihi dantur in colloquiis cum Iudaeis venire. Quapropter testimonium hic modeste afferre audeo, et quidem de his duabus quaestionibus:

1. Quid significant Iudaei *hodierni* pro christianis nostri temporis?

2. Quid significat declaratio nostra pro Iudaeis nostri temporis?

Evidenter, hic agitur non de civibus Reipublicae « Israel » sed de Iudaeis, ubique terrarum dispersis, prout in eis patrimonium biblicum servatur.

*I Pars. Quid significant Iudaei hodierni pro christianis nostri temporis?*

Iudaei, non tantum Veteris Testamenti sed etiam Iudaei hodierni considerationis particularis digni sunt, in quantum etiam in praesenti, *vivi testes* sunt traditionis biblicae. Tales sunt:



1. *Per scientiam et intelligentiam librorum sacrorum* Primi Testamenti. V. g. in multis regionibus, pueri Iudaeorum, quotidie per unam saltem horam in studio paginae divinae versantur; pulcherrimum exemplum etiam pro christianis! Pro illis Iudaeis Sacra Biblia non documentum mortuum est, non praeterita sed praesens historia. Confiteor me ab aliquibus talibus Iudaeis ad meliorem cognitionem et ad vividiorum amorem Patrum Primi Testamenti pluries incitatum fuisse.

Certo certius, communis inquisitio circa Legem aut Prophetas — vel etiam sic dictos hagiographos — studium de hoc inter Iudaeos et christianos sufficienter peritos, magni spiritualis lucri esset.

2. Inter hodiernos Iudaeos, multi etiam traditionis biblicae testes sunt *vivendo* aliquas *virtutes religiosas*, a Lege vel Prophetis commendatas. V. g. habent sensum egregium divinae transcendentiae, adeo ut saepius gallice vocantur « les pèlerins de l'Absolu ». Oboedientiam praebent praeceptis divinae Legis et in primis Decalogi — oboedientiam non tantum moralem sed proprie religiosam. Fidem habent in libertatem Populi Dei a servitute. Cultus eorum et preces, qui non tantum in synagogis per hebdomadam sed etiam in familiis eorum celebrantur, familiarum relationes religiose confirmant et consecrant.

3. Fide certa tenemus quod in aeternitate sua, Deus consilia sua non deneget. Quando Primum Testamentum instituit, iam secundum Testamentum amore suo praevidebat. Ergo, Secundum Testamentum primum non rumpit ...<sup>2</sup>. Nobis christianis certe non licet Iudaeos considerare ut membra reiecta Populi Dei. E contra, divitias nostras communes, quoties fieri potest, explorare et ad fructificationem hodiernam, cum eis, promovere debemus.

Quis non videt quantae efficacitatis hoc esset in isto tempore, ubi viget atheismus ubique diffusus! Christiani et Iudaei, quia testes Divinae Locutionis et Historiae Salutis, — quia testes eiusdem Monothetismi — non possunt amplius incredulitatis defensoribus testimonium tristissimum afferre gravis deficientiae in mutua cognitione et caritate.

*II Pars. Quid significat declaratio nostra pro Iudaeis nostri temporis?* Defunctus noster Pontifex, sanctae memoriae, qui a Iudaeis nunc « Ioannes bonus » vocatur, per modum suum vere evangelicum, immensam spem apud Iudaeos suscitavit. Pariter debemus nos, hodie, in declaratione nostra, modo illo evangelico uti, qui supponit humilitatem sobriam et decentem reverentiam erga Iudaeos. Sine ullo dubio, declaratio ista maximi momenti est pro dialogo tam necessario inter Iudaeos et Ecclesiam catholicam. Textus noster, non sine anxia interrogatione, a Iudaeis totius mundi nunc expectatur, et erit fons et causa vel pacis



et gaudii vel, e contra, profundae amaritudinis et gravis damni. Ergo, quid desiderandum est?

1. Iudaei exspectant a Concilio nostro Oecumenico *aliquod solemne verbum iustitiae*.

Negare nequimus quod non tantum in hoc saeculo sed etiam in saeculis transactis crimina erga Iudaeos perpetrata sunt a filiis Ecclesiae et non raro, etsi false, nomine ipsius Ecclesiae. Ignorare nequimus in historia inquisitiones fuisse contra Iudaeos, contumelias, conscientiae violationes, immo conversiones ex coactione natas. Non tandem negare debemus, quod usque ad recens tempus, nimis frequenter, sive in praedicatione, sive in quibusdam libris catecheseos, errores irrepsisse quae spiritui Novi Testamenti offensae sunt.

Cur ex illo spiritu Evangelii non illam magnanimitatem haurire possimus, ut nomine tam multorum christianorum veniam postulemus pro tot ac tantis iniuriis? Procul dubio, etiam Iudaei defectus habent, etiam, pro sua parte, errores et culpas commiserunt. Nemo hoc negat. Sed hoc non obstante, requiritur ab Evangelio Christi, ut confiteamur culpam nostram quin attendamus Iudaeos idem facere erga nos. Praeterea, pro nostro Oecumenico Concilio, iustitiae officium et munus est, doctrinas falsas quoad Iudaeos ex nostra catechetica Institutione delere, sicut optime asseritur in declaratione nostra...<sup>3</sup>

2. Nostra declaratio vitare debet — sicut aliquomodo iam fecit — omnem speciem alicuius praesentis convocationis ad conversionem totius populi iudaici. In praesenti etenim situatione, Iudaei communiter capaces non sunt intelligendi transitum ad Evangelium Christi pro eis non esse apostasiam sed veram plenitudinem. Illa Dei hora de qua Paulus apostolus loquitur in Epistola ad Romanos ...<sup>4</sup> de unione definitiva totius populi electi, a nobis nondum cognoscitur nec cognosci potest.

*Concludo.* 1. Declaratio « de Iudaeis » separari deberet ab his quae dicuntur de aliis religionibus non christianis et constituere aliquam declarationem propriam. Relatio inter Ecclesiam et Synagogam est omnino specialis: agitur in dialogo inter christianos et Iudaeos de communicatione (ut ita dicam) inter arborem Ecclesiae et eius propriis radicibus...<sup>5</sup>

In hoc casu, valde optandum est ut aliqua brevis et distincta declaratio Musulmanis reservetur, in qua specifica indoles religiosa eorum clarius a Sacra Synodo aestimetur et praesens Ecclesiae habitudo erga eos declaretur.

Quod autem attinet ad religiones non biblicas, hodie tam numerosas, tanti ponderis existentes in re culturali et etiam per multiformem



et sinceram inquisitionem mysterii Dei saepe cor credentium moventes, Sacra Synodus, in tertia declaratione separata, eas fusius considerare et etiam ad dialogum invitare posset.

*De his omnibus propositiones concretas apud secretariam pono.*<sup>6</sup>

*Denique*<sup>7</sup> certo certius, non ignoramus aliquorum Patrum Conciliarium inquietudines propter sequelas ex declaratione de Iudaeis forsan pro eis infeliciter emanantes. Attamen, nec in situatione difficillima, veritas ac iustitia in Ecclesia derelinqui possunt. Tacere nequimus.

Sed nonne illi fratres amantissimi consolationem ac fortitudinem...<sup>8</sup>

*Moderator:* Explicit tempus, exc.me Domine.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> Concilium nostrum Vaticanum ad sincerum dialogum cum hominibus huius temporis intendit. Necessarium est, et in praesenti vale opportunum, ut iuvet specialiter dialogum cum Iudaeis. De huius dialogi momento et conditionibus breviter loqui vellem. <sup>2</sup> Revera ipse Dominus dixit: « non veni solvere sed adimplere » (*Mt.* 5, 17). Ergo. <sup>3</sup> Praesertim, necessarium est istam expressionem omnino reiicere, Iudaeos « populum deicidum » esse. <sup>4</sup> (cf. *Rom.* 11). <sup>5</sup> Secundum S. Paulum christiani sunt sicut oleastrum insertum in ramis israeliticis et socium radicis (cf. *Rom.* 11, 17). <sup>6</sup> 2. In ista declaratione optandum esset ut redintegrentur diversa elementa prioris textus quae, in hac materia, melius veritati respondent. Quasdam concretas propositiones apud Concilii secretariatum pono. <sup>7</sup> 3. <sup>8</sup> haurire possent ex verbis Pauli VI fel. regn. qui resonare faciunt verba ipsius Christi Domini. Prolata fuerunt die 6 ianuarii elapsi, in civitate Nazareth: « Bienheureux serons-nous, si nous aimons mieux être opprimés qu'oppressés, et si nous avons toujours faim d'une justice en progrès »! Beati nos erimus, si opprimi magis quam oppressores dilexerimus esse, et si semper maiorem iustitiam magis ac magis pro omnibus esuriamus!

*Animadversiones additae:*

*Ad n. 32.*

Lin. 2 loco « libenter », melius esset: « grato animo ».

Lin. 11: statim inserendum esset: « Credit insuper Ecclesia, Christum, Pacem nostram, propter peccata omnium hominum passionem suam et mortem voluntarie obiisse ».

Linn. 11-16: post supra dicta, ista scribendae essent linn. 11-16: « Verba quoque apostoli Pauli semper habet et habebit prae oculis Ecclesia de Iudaeis " quorum adoptio est filiorum et gloria et testamentum et legislatio et obsequium et promissa ", quorum Patres et ex quibus est Christus secundum carnem (*Rom.* 9, 4) necnon Christi Mater, Maria Virgo et Apostoli, Ecclesiae fundamentum et columnae ».

Lin. 17: post lin. 16 i. e. post supra dicta, opportuniter inserendum esset:

« Iudaei insuper, testante eodem Apostolo, Deo, cuius dona et vocatio sine poenitentia sunt, adhuc carissimi manent propter Patres, et signati amore Dei cuius viae investigabiles abscondita adhuc sunt in altitudine sapientiae et scientiae eius » (cf. *Rom.* 11, 33).



Lin. 18: post verbum « acceperint » (lin. 17) dicendum esset (loco linn. 18-22): « et cum Ecclesia agnoscit Iudaeos, ex eo quod custodiunt ex Traditione Biblica, manere adhuc hodie, in mundo semper magis materialismo et atheismo infecto, testes spiritu et virtutum in illa Traditione signatarum, Sacra haec Synodus mutam utriusque cognitionem et aestimationem, quae et studiis *biblicis* et theologicis et fraternis colloquiis obtinetur, omnino fovere vult et commendare. Insuper, sicut iniurias hominibus ubicumque illatas severe reprobatur, ita etiam magis odia, vexationes et persecutiones contra Iudaeos quas *antisemitismum* dicunt, sive olim sive nostris temporibus perpetratas, deplorat et damnat ».

Linn. 23-27: haec paragraphus delenda vel mutanda esset ut non interpretari posset ut aliqua convocatio *totius* populi iudaici ad conversionem immediatam. Interpretaretur ut exhortatio ad apostasiam.

N. B. Ne pourrait-on pas remplacer ce paragraphe par quelque chose d'analogue à ceci: « Tout en déplorant que le peuple juif se prive de l'accomplissement en Jésus-Christ des grâces promises aux Patriarches, renouvelées par les Prophètes, le peuple juif actuel ne peut être considéré comme solidairement responsable de la condamnation du Christ, faite par les Grands-prêtres et leurs associés (*Jn.* 11, 50), affolés par la situation politique ».

Lin. 30: post « reprobatur » addendum est « maledictam aut deicidam ».

Lin. 31: melius: « in animis odium aut contemptum erga Iudaeos parere possit. Haec enim omnia voluntati Iesu Christi contradicerent, qui in uno amore et Iudaeos et gentes complectitur ».

Linn. 31-32: Melius esset dicere: « Caveant praeterea ne soli aut toto populo iudaico tunc viventi neque a fortiori Iudaeis nostrorum temporum imputentur quae in Passione Christi perpetrata sunt. Haec omnia revera debent omnibus hominibus peccatoribus et praesertim christianis qui in peccatis prolabuntur imputari, sicut clarissime iam meminit Catechismus Concilii Tridentini » (pars I, art. 4; cap. 5; § 11).

N. B. Textus catechismi Tridentini: « Atque hac culpa omnes teneri iudicandum est qui in peccata saepius prolabuntur. Nam cum peccata nostra Christum Dominum impulerint ut crucis supplicium subiret, profecto qui in flagitiis et sceleribus volutantur (*Hebr.* 6, 6) rursus, quod in ipsis est, crucifigunt in semetipsis Filium Dei, et ostentui habent, quod quidem scelus eo gravius in nobis videri potest quam fuerit in Iudaeis, quo illi, eodem Apostolo teste (*Cor.* 2, 8): si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent. Nos autem et (*Tit.* 1, 16) nosse eum profiteremur et tamen facti negantes, quodammodo violentes ei manus inferre ».

P. S. Lin. 8 « continuationem » exactius, cum maiore praecisione diceretur, utendo verbis Pauli apostoli (cf. *Rom.* 11, 17): « christianos esse oleastrum insertum in ramis israeliticis et socium radicis ».

#### *Esquisse des lignes principales d'une « Declaratio » pro Islamitas:*

Sacra Synodus, dialogum fraternum intendens cum omnibus hominibus, non potest Islamitis populis talem dialogum, et certo proprie religiosum, hodie praesertim non proponere.

Colunt enim et adorant sicut et nos illum verum unum Deum qui est in excelsis, qui omnia creavit, et qui decursu temporum in hominum historia seipsum revelavit. Fides eorum in illum magnum Deum temporibus nostris atheismi testimonium est magni momenti pro ista generatione. Circa hanc fidem huncque testi-



monium ut islamitae et christiani inter se debitis modis colloquantur valde optandum est.

Praeterea, temporibus praeteritis iam ab initiis islamitae religionis inter christianos et islamitas relationes multae fuerunt, non tantum, proh dolor, bellicae, sed etiam et profundius civilisationis et culturae, sive philosophicae sive artium. In praesenti unificatione mundi valde optandum est ut denuo tales mutuae relationes multiplicentur et mutua reverentia, ad bonum commune culturale totius humanae familiae fovendum.

## 9

EXC.MUS P. D. STEPHANUS A. LEVEN

*Episcopus tit. Buritanus, aux. S. Antonii*

*Eminentissimi Patres, venerabiles Fratres,  
Purpurati et non purpurati, et etiam carissimae sorores,*

Declaratio in genere per multum placet; tres tamen emendationes in textu proponere velim.

Quoad primam et secundam propositionem in nomine fere omnium episcoporum Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis dicam, quoad tertiam, vero, nomine proprio.

Primo proponitur emendatio par. 32, in lin. 20, qua haec verba inserantur: « Numquam dicatur Iudaeos esse gentem deicidam ».

Hoc monitum clare enuntiatum fuit in prima versione huius documenti ...<sup>1</sup>. Nunc vero in textu nostro praesenti haec declaratio non invenitur.

Sunt qui dicunt sententiam suppressam fuisse quia verbum Deicidii est verbum philosophice et theologice absurdum, per se contradictorium, ideoque indignum documento conciliari.

Attamen, Patres conciliares, hic agimus non de entitate philosophica sed de verbo infamiae et execrationis quod a christianis inventum est ut Iudaeos exprobarent et insequerentur. Per tot saecula et etiam in saeculo nostro christiani contra Iudaeos hoc verbum deicidii iactaverunt et propter id iustificaverunt omnes excessus etiam eorum caedem. Nobis non est declarare de re philosophica, sed nobis est damnare et reprobare talem phrasim quae tot occasiones et ansas persecutionum per saecula praebuit. Tollere hoc verbum debemus e medio christianorum ne unquam alia vice contra Iudaeos adhibeatur.

Concilium Tridentinum iam docuit omnes homines eorumque peccata fuisse causam mortis Christi. Omnes ergo rei sumus, et omnes ...<sup>2</sup> mortem Christi requisivimus. Uni, ergo, populo mors Christi minime est attribuenda!



Alia etiam de causa, sententia illa restauranda videtur. Totus mundus bene cognoscit historiam anti-semitismi inter christianos. Tanta sunt perpetrata contra Iudaeos. Nunc autem mundus quaerit et expectat signum absolutum et irrefutabile de bona fide Ecclesiae in hac materia iustitiae. Debemus repudiare illud Machiavellismum quo iustitiam pro nobismetipsis solis quaerimus. Nos, tanquam Concilii Patres, iustitiam debemus quaerere pro omnibus hominibus in mundo iuxta necessitates temporis et situationis. Tempus nostrum et situatio nostra nunc postulat hanc reprobationem accusationis deicidii. Praesertim quia haec reprobatio fuit in primo documento, eius omissio in textu praesenti mundo nunc appareret tamquam aliqua recusatio istius iustitiae quam fratribus nostris Iudaeis dare debemus.

Secunda emendatio mihi inserenda videtur in textu et quidem in par. 32. Lin. 32 addantur haec verba: « Nec omnes Iudaei tempore Christi accusandi sunt de eius morte ».

Tanti Iudaei tempore Christi, praesertim in Diaspora, nihil prorsus de Christo audiverunt, et obvise Eius morti consentire nullo modo potuerunt. Tanto absurdum esset accusare omnes Iudaeos tempore Christi de eius morte quanto omnes Romanos illo tempore *vel nostro*<sup>3</sup> accusare de eiusdem morte quia Pilatus Romanus Iesum tradidit et milites Romani eum crucifixerunt.

Tertia et ultima emendatio proprio nomine propono.

In pag. 33, lin. 20 addatur expressio nostrae spei eschatologicae qua omnes homines cuiuscumque generis, sive Iudaei sive Gentiles, apud Patrem coadunentur. S. Paulus scripsit in sua Epistola prima ad Timotheum, 2, 4, « ... hoc enim bonum est et acceptum coram salvatore nostro Deo, qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire ». Sic applicetur etiam illud perpulchre dictum in constitutione *de Ecclesia*, par. 2, linn. 10 ss., « Tunc autem, sicut apud sanctos Patres legitur, omnes iusti inde ab Adam “ ab Abel iusto usque ad ultimum electum ” in Ecclesia universali apud Patrem congregabuntur ». Dixi. Gratias.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> seu in cap. IV schematis Oecumenismi anno elapso nobis tradito. Ibi dictum est Iudaeos deicidii reos non esse. <sup>2</sup> confiteri debemus quia peccavimus, et omnes. <sup>3</sup> deest.



## 10

Exc.MUS P. D. BERNARDUS STEIN  
*Episcopus tit. Dagnensis, aux. Trevirensis*

*Venerabiles in Christo Fratres et Sorores,*

Declaratio altera *de Iudaeis et non christianis* legenti bene perpensa ac prudenti cum moderatione composita apparet. Quare enixe exopto, ut a Patribus comprobetur.

Unum tantum locum inveni, de quo aliquid monendum mihi videtur, *sicut heri iam innuit em.mus König*,<sup>1</sup> scil. in art. 33 (pag. 47, lin. 33 usque ad pag. 48, lin. 5).

*Dixit quidem hodie quidam Pater, loco textuum Sacrae Scripturae in hoc articulo citatorum, alios textus esse ponendos. Huic assertioni libenter assentirem si textus aptiores in Sacra Scriptura inveniri possent. Sed, prob dolor, tales textus, meo iudicio, reapse non existunt. Nam*<sup>2</sup> neque in libris Novi Testamenti neque in litteris Veteris Testamenti talis assertio, nempe paternitatis divinae erga omnes homines comprobatur. *Videamus!*<sup>3</sup>

I. a) Secundum Synopticos, Iesus Patrem caelestem praedicans noluit relationem paternam annuntiare inter Deum Unum et homines universos vigentem, sed testificari: Deum, in quem audientes crederent, sensu prorsus singulari ceterosque omnes excludente, esse Patrem filii unigeniti, ipsius nempe Iesu Christi. Eadem res clarius adhuc in Evangelio secundum Ioannem exhibetur. Cui non obstant:

1. *Verba Domini*<sup>4</sup> « Diligite inimicos vestros..., ut sitis filii Patris vestri... », ibi enim non paternitas Dei erga omnes homines docetur, sed monentur fideles, ut, caritatem erga omnes homines praestantes, filii Dei Patris appareant...<sup>5</sup>;

2. *neque obstat Lc. c. 3*,<sup>6</sup> ubi in genealogia Iesu Adam dicitur fuisse Dei; non enim hoc modo docetur Deum esse Patrem omnium hominum;

3. *non obstat Act. c. 17*,<sup>7</sup> ubi verba apostoli « Ipsius enim et genus sumus » non revelationem divinam exhibent, sed citationem Arati poetae gentilis constituunt.

b) Omne dubium tollitur modo, quo S. Paulus semper loquitur. Clare v. g. verbis *1 Cor. cap. 8*<sup>8</sup> iuxtaponuntur et creatio mundi divina et relatio Patris ad Filium singularis. In epist. *ad Eph. cap. 4*,<sup>9</sup> expresse quidem dicitur « unus Deus et Pater omnium », contextus autem lucide ostendit hoc loco agi de solis christifidelibus. Porro, epist. ad Romanos

passim docet homines non constitui filios Dei, nisi credentes per Christum in Spiritu Sancto...<sup>10</sup>

c) Cetera quoque scripta Novi Testamenti affirmant regenerationem non fieri nec filiationem divinam acquiri nisi propter Christum et per Christum...<sup>11</sup>

II. ...<sup>12</sup> Libri Veteris Testamenti de nexu et vicissitudine inter Deum et hominem dilucide affirmant hominem esse imaginem Dei. Absque ullo dubio Deus imaginem non generat sed creat, ita tamen ut homo, divinitus creatus, intima necessitudine cum Deo coniunctus sit, quin Deus dicatur Pater hominum. Ita series generationum hominum (*in cap. V Gen.*<sup>13</sup>) initium sumit a Deo, sed Deo Creatore, Adam autem non vocatur filius Dei. Non obstat quod in *Deut. cap. 32*<sup>14</sup> haec verba leguntur: « Deum, qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui ». Nam Deus explicite dicitur creator; genuisse autem dicitur non ex eo quod est creator, sed ex eo, quod, sicut e contextu patet, benigna liberalitate Israel elegit et, foedere inito, populum suum proprium constituit.

Inde iam apparet, quo sensu Deus in libris Veteris Testamenti Pater nominatur vel cogitatur: Voluntas divina salvifica, liberrime eligendo populum Israeliticum, « filium » fecit ipsum populum ...<sup>15</sup>. Ergo doctrina de paternitate divina in libris Veteris Testamenti plane inserta et subordinata apparet doctrinae fundamentali de foedere divinitus inito ...<sup>16</sup>. Non obstat *Eccli, cap. 36*,<sup>17</sup> ubi de populo Israel dicitur esse filium Dei primogenitum, quia hoc verbo nullo modo innuitur vel affirmatur Deum Patrem esse omnium hominum.

Concludendo ergo statui debet libros Veteris Testamenti Deum Patrem vocare, quia foedus cum Abraham et semine eius benigne iniit et fideliter servavit.

III. Quibus dictis sufficienter constare videtur in Sacra Scriptura Veteris et Novi Testamenti numquam Deum Patrem vocari respectu omnium hominum. Tamen negare nolo Deum recte aliquo sensu ita appellari posse. Ratio enim theologica paternitatem divinam triplici eoque differenti modo considerare solet:

1. Sensu proprio et strictissimo paternitas divina edicitur respectu Filii unigeniti, qui ipse est persona divina;

2. sensu proprio sed analogo edicitur respectu filiorum adoptivorum, qui ...<sup>18</sup> per gratiam elevantur et assumuntur ad participandam filiationem Filii unigeniti, ita ut, consortes effecti divinae naturae ...<sup>19</sup>, iure merito dicere possint: « Pater noster, qui es in caelis »;

3. sensu improprio et metaphorico denique edici quoque potest respectu hominum universorum, eo quod Deus, Creator et Dominator



omnium, omnes creaturas et maxime omnes homines, ad modum patris humani, sua benignitate prosequitur.

Nemo non videt Deum ita, etsi recte, tamen sensu longe remoto ab illo, quo credentes in Filium orant ad Patrem suum caelestem, Patrem appellari...<sup>20</sup>

*Conclusio.* Quare propono et postulo, ut textus art. 33 hoc fere modo mutetur: « Dominus Iesus luculenter confirmavit, quod iam Scripturae Veteris Testamenti ostendunt et ipsa ratio innuit, Deum Creatorem, benignum omnium Dominum, Paterna cura omnibus providere. Nos autem christifideles Deum Dominum nequimus vocare Patrem nostrum caelestem, si erga quosdam homines, etc.<sup>21</sup> ».

*Argumentationem magis specificatam tradam scriptis secretariatus generali.*<sup>22</sup> Dixi.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> deest. <sup>2</sup> Difficultas haud parvi momenti circa hunc articulum exoritur ex eo quod expresse statuit Deum esse Patrem omnium hominum. Eadem quidem doctrina etiam in declaratione priore huius schematis (art. 31, pag. 33, lin. 26) et in schemate *de divina revelatione* (art. 3, pag. 6, linn. 26-27) affirmatur. At cum istis locis paternitas divina erga homines simpliciter edicitur, in art. 33 explicite asseritur hanc esse doctrinam ipsius Christi Domini et Veteris Testamenti. Revera autem. <sup>3</sup> deest. <sup>4</sup> Mt. 5, 45. <sup>5</sup> cf. etiam Lc. 6, 35). <sup>6</sup> Lc. 3, 38. <sup>7</sup> Act. 17, 24-28. <sup>8</sup> 1 Cor. 8, 6 (« ... nobis tamen unus est Deus Pater (= hō patēr), ex quo omnia, et nos in illum, et unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum »). <sup>9</sup> 4, 6. <sup>10</sup> (cf. praesertim Rom. 8, 14-16). <sup>11</sup> cf. 1 Pt. 1, 3; Iac. 1, 18; 1 Io. 3, 1-10; etc.). Non obstant Iac. 1, 17, ubi Deus dicitur « Pater luminum » et Hebr. 12, 9, ubi vocatur « Pater spirituum ». <sup>12</sup> Ubi in libris Veteris Testamenti Deus nominatur vel cogitatur « Pater » — quod haud raro accidit — nullibi « Pater » attributum nominis divini vel significatio ipsi nomini divino aequivalens est. In specie Deus creans mundum et hominem non cogitatur ad modum patris genuisse. <sup>13</sup> (Gen. 5, 1-5). <sup>14</sup> Deut. 32, 18 iuxta versionem Vulgatae. <sup>15</sup> (cf. Deut. 32, 5-6), regem theocraticum (cf. Ps. 89 (88), 27-29), Messiam (cf. Ps. 2, 7) ac singulos pios e numero populi Israel (cf. Sap. 2, 16-18). <sup>16</sup> Ita sollemniter proclamatur: « Filii estote Domini Dei vestri » (Deut. 14, 1). Similiter Osee Propheta filios Israel ad expectationem salutis novissimae excitans dicit: « In loco ubi dicitur eis: Non-populus meus vos, dicetur eis: Filii Dei viventis » (Os. 2, 1 vel sec. Vulg. 1, 10). <sup>17</sup> 36, 17. <sup>18</sup> credentes sperantesque in Iesum Christum Filium unigenitum, caritate infusa: <sup>19</sup> (cf. 2 Pt. 1, 4). <sup>20</sup> Et quaeritur, num Concilium, nulla distinctione adhibita, uti debeat hac locutione metaphorica, praesertim cum S. Synodus de industria studere soleat, ut in omnibus suis decretis modum dicendi adhibeat, quo S. Scriptura loquitur. <sup>21</sup> ad imaginem Dei creatos, fraterne nos gerere renuimus. Ita enim arcte connectuntur habitudo hominis ad Deum et eiusdem habitudo ad alios homines, ut omnis negatio humanae fraternitatis negationem ipsius Dei... secumferat... ». <sup>22</sup> deest.



EXC.MUS P. D. ANTONIUS AÑOVEROS ATAÚN  
*Episcopus Gadicensis et Septensis*

*Venerabiles Patres et carissimi omnes patientissimi,*

Nostras ephemerides petere humiliter audeo, et communiter omnia instrumenta communicationis, praecipue catholica, ut maxima prudentia et caritate agant cum problemata, sensum religiosum attingentia, cernat, et expressiones culturae gentium mahometanorum, sicut dixit ep. Dalatensis in Vietnam.

Testis sum, et aliquando existimator evasi repulsae et offensionis aliquorum mahometanorum in praesentia quorundam educantium photographias et scriptorum ephemeridum qui volebant notitias accipere morum et rituum eorum.

Cum eos interrogarem, qua ratione ita sese gerebant, sic responderunt: Hae photographiae et notitiae ludibrio nostrorum inserviunt, tam in ephemeridibus, quam in cinematographeis christianorum regionum.

Amant nempe Deum populi mahometani, religioni intime adhaerent, et magnopere percipiunt caritatis fraternae manifestationes, quamvis aliter dictum sit.

Dum enim coniunctiones fiunt cum coetibus christianis, vero spiritu caritatis imbutis, facile dialogus seritur, et praecudicia oppositionis religiosae et socialis evanescent.

Insuper, iis externis manifestationibus cultus catholicorum, tolerante reverentia et urbanitate obsequuntur.

Obsequens igitur habeatur aestimatio divitiarum spiritualium atque moralium illorum; et hoc simus persuasi, quod caritas ac bonitas praecceptum esse debet, ad has animas et populos praecipue « admiratione dignos, ex eo quod in eorum divino cultu verum et bonum exstat » (Paulus VI).

Quam bene Summus Pontifex Paulus VI, feliciter regnans, in Encyclica *Ecclesiam suam* indicat: Postquam manifeste affirmat: « Ea quae nos credimus, oportet manifestemus videlicet veram religionem esse unam eamque esse christianam », continuo addit: « Nolumus tamen reverenter non respicere bona spiritualia et moralia quae in variis religionibus, christiano nomine non insignibus, insunt; una enim cum iis provehere iuvat ac tueri alta et praeclara quae, in campo libertatis religiosae, fraternitatis humanae, eruditionis ac doctrinae, beneficentiae socialis et ordinis civilis sunt communia. Quod ad haec magna attinet, quae nobis sunt cum illis consociata, colloquium a nobis poterit fieri ».



Mihi permittite ut quoddam factum memorem in quo caritas et bonitas elucet, in regione ubi non parvi sunt mahometani, in urbe Septensi (Ceuta), quod additum existimo amicitiae et dialogo.

Est quaedam illic paroecia catholica, simplicibus sed efficacibus institutionibus caritatis praedita ac donata, cuius parochus omnium pater praebetur, omnes adit domos, atque christianis et mahometanis opem consentaneam fert. Venit episcopus. Et quam plurimi mahometani, mulieres etiam vultibus revelatis, eum maximis aestimationis signis acceperunt. In ecclesiam paroecialem ingressi sunt, et quidem, venerationis specie, genua flexerunt, capite detecto.

Paulo post, aliquis eorum primas, episcopo dixit, parochum significando: « Hic est verus frater. Diligit nos, eumque diligimus. Nos voretur et intelligit ».

Bonitatem et amorem sentiebant! Amice vivebant. Hoc in vico, ubi parvus christianorum coetus inter plures mahometanos degunt, est verus status sani oecumenismi, sensu lato.

Huius spiritus oecumenici mahometanorum miranda fuit expressio, cum Beatum Papam nostrum Paulum, in Palaestinam peregrinantem, vehementi ardore susceperunt, etiam cum commotione et veneratione.

*Propositum voti.* In declaratione de Iudaeis et non christianis, ubi commissioni opportunum videatur, haec inserantur: Suadetur ephemerides et communicationis socialis instrumenta specialiter catholica, ut maxima prudentia et caritate procedant cum problemata et quaestiones agant quae communia esse possint in re religiosa, fraternitatis humanae, boni cultus, beneficentiae socialis, atque ordinis civilis, quae ad diversas confessiones religiosas non christianas attineant. Dixi.

## 12

EXC.MUS P. D. IOANNES CARMELUS HEENAN

*Archiepiscopus Vestmonasteriensis*

*Venerabiles Fratres,*

Haud mirum est novam declarationis de Iudaeis redactionem ab illis sine gaudio esse acceptam. Textus enim schematis *de Oecumenismo* in secunda sessione publicatus omnibus etiam Iudaeis optime est notus. Naturale est eis inquirere cur hae mutationes sint factae. Fieri non potest quin discernatur quomodo et tenore et spiritu differat haec versio nova. Praesens enim declaratio minus est benevola, minus benigna, minus amica. Documentum a Secretariatu Unitatis praeparatum — obser-

vationibus Patrum conciliarium diligentissime consideratis — non est in omnibus verbis documentum quod prae manibus habetis.

Nescio quinam sint periti qui novum hunc textum confecerint. Candide fateor me nullo modo suspicari quod de industria minus callide vel minus generose scripserint. Forsitan in negotiis oecumenicis non essent bene versati. Qua subtilitate, quanta cura haec materia delicata est tractanda. Et hoc praesertim verum est in tractando de Iudaeis, quia hic populus tam saepe persecutionem passus specialem habet animi molliem.

Mollities haec (vulgo « sensitivity », « sensibilité »), ratio esse possit cur in omnibus suis ephemeridibus Iudaei de citatione Epistulae B. Pauli ...<sup>1</sup> conquerentur. Reapse Apostolus Gentium hoc in loco loquitur ...<sup>2</sup> eschatologice de reditu omnium hominum, etiam Israelitarum, ad unitatem veri populi Dei. Non dubito quin citatio ista Paulina facta sit ut signum amoris fraterni et desiderii Christi fratrum unionis cum ceteris Dei filiis. Minus recte ergo, mea sententia, iudicant Iudaei hanc citationem esse invitationem seu vocationem ad religionem suam confestim derelinquendam.

Liceat mihi nihilominus declarare quod in contextu motionis oecumenicae quaestio de conversione vel individuorum vel communitatum locum revera non habet. Oecumenismus enim unice de mutuo examine veritatis religiosae curat. Ambae partes in dialogo in mente habent non victorias reportare sed in comprehensione et caritate crescere. Cum ergo de unitate christianorum sermo sit in schemate nostro, nullum prorsus verbum invenietis de conversione orthodoxorum vel acatholicorum in occidente. Manet tamen firma spes reditus omnium Christi fratrum in unum ovile. Immo ipsi fratres seiuncti aequae ac nos orationes perfundunt ut Spiritu Sancto duce omnes in una sancta Ecclesia uniantur.

Patet quod intentio nostra male a Iudaeis intellecta est. Quamobrem melius esset citationem S. Pauli a declaratione nostra omittere. Etenim in secunda parte declarationis ubi sermo est de aliis non-christianis ...<sup>3</sup> nihil prorsus dicitur de illorum conversione. Et contra haec sunt verba in textu: « Quamvis a nostris in multis discrepent tamen in multis referunt radium illius Veritatis quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ». Si autem huiusmodi Veritatis radium habent isti, quanto magis religio Iudaica quae est quasi radix fidei nostrae! Ut quondam Pius Papa XI dixit: « Nos omnes Semitae sumus ».

Hoc denique addere velim de quaestione illa famosa deicidii. In priore versione documenti nostri gens Iudaica a deicidii crimine exculpabatur. Memores esse debemus quod textus antiquior per totum mundum est divulgatus. Si ergo nunc exciduntur illa verba exculpationis,



mundo apparebit quod Patres conciliares, re per annum bene perpensa, iudicaverint populum Iudaicum totum, saltem tempore Domini nostri, revera fuisse reum criminis deicidii.

Iudaei hoc saeculo iniurias graves, immo inhumanas sustulerunt. In nomine Domini nostri Iesu Christi qui a cruce persecutoribus ignovit, humiliter peto ut declaratio nostra aperte dicat populum Iudaicum *ut talem* reum non esse mortis Domini. Iniustum certe esset omnes christianos Europae reos declarare occisionis sexcentorum millium Iudaeorum nostris diebus in Germania et in Polonia.

*In precibus nostris ante hanc congregationem his verbis utebimur: « Domine sancte, non nos patiaris perturbatores esse iustitiae, qui summam diligis aequitatem ». Perturbatio, dico, esset iustitiae<sup>4</sup> damnare totum populum Iudaicum propter mortem Christi. Dixi.*

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> (lin. 25 declarationis alterae pag. 1). <sup>2</sup> ut ita dicam. <sup>3</sup> (lin. 18). <sup>4</sup> Similiter affirmo iniustum esse.

## 13

EXC.MUS P. D. PATRICIUS ALOISIUS O'BOYLE  
*Archiepiscopus Washingtonensis*

*Venerabiles Fratres,*

Loquendo de declaratione *de Iudaeis et non christianis*, vellem proponere quasdam emendationes, promptas per considerationes practicas quae naturaliter oriuntur in mente episcopi in cuius patria habitat maior numerus Iudaeorum quam in quavis alia natione per totum orbem terrarum, et qui nunc expriment obiectiones definitas contra ea quae in hac declaratione continentur.

Verum est, haec declaratio proponitur tamquam enuntiatio episcoporum catholicorum, et dirigitur primario ad catholicos. Nihilominus, spiritus huius declarationis est oecumenicus, et ea quae tandem proponet intente studebuntur a Iudaeis, de quibus imprimis tractat. Quapropter, spiritus, stylus et verba huius declarationis ad finem oecumenicum dirigenda sunt. Caritas Christi urget nos ad cogitationes nostras tali modo exprimendas ut non inutiliter praebeamus occasionem offensionis, simulque ut loquamur modo Iudaeis intelligibili et in harmonia cum spe et aspirationibus animi Iudaici.

Hoc non significat quod per falsum « irenismum » celandae sunt

veritates fidei catholicae. At vero significat quod nostra dicta debent esse omnino praecisa et exacta, et debent dirigi per donum sapientiae, vel « scientiam per caritatem animatam » quae animadvertit ad contextum historicum sub quo intelliguntur nostra verba in mente omnis Iudaei. Timeo ne declaratio in quibusdam respectibus huic normae non conformet. Revera in quibusdam locis declaratio deficit a veritate et negligit curare de sensibilitatibus delicatis quas historia creavit in animabus populi iudaici.

Primum exemplum invenitur in n. 32, linn. 23-27. Phrases « adunationem populi Iudaici cum Ecclesia » et « accessum huius populi... ad plenitudinem populi Dei » immediate suggerunt ad mentem Iudaicam vehemens desiderium catholicorum pro « conversione » Iudaeorum. Haec vox « conversio » revocat ad mentem Iudaeorum memoriam persecutionum, dolorum, et etiam coactae denegationis omnium veritatum, quas subiective et in bona fide Iudaeus sincere diligit. Quando, ergo, audit desiderium catholicorum ad obtinendam « conversionem », Iudaeus cogitat de renovatione illius « proselytismi » qui per plura saecula violavit eius iura et dignitatem personalem.

Certo certius conversio Iudaeorum omniumque aliorum populorum ad fidem catholicam est obiectum spei omnium catholicorum. Sed, uti asserit S. Thomas, spes pro proximo gubernanda est per sobrietatem. Numquam possumus oblivisci quod spes pro conversione Iudaeorum non dat certitudinem de exitu felici. Sors populi Iudaici dependet omnium a dispositionibus divinae Providentiae et gratia Dei. Ergo, si exprimimus nostram spem in verbis quae inducet Iudaeos ad ea interpretanda tamquam definitam et consciam intentionem laborandi pro eorum conversione, erigemus alium murum altum nos separantem a sancto et fructuoso dialogo cum populo Iudaico...<sup>1</sup>

Item, consideratio pro veritate et caritate me urget ut repetam opinionem em.mi card. Meyer, quod in n. 32, linn. 28-32 declaratio totaliter mutanda est. In his lineis, ut nunc leguntur, declaratio proponit dimidiam tantum partem veritatis, et certo certius praebebit offensionem Iudaeis. Loquendo de parte Iudaeorum in morte Christi, dicit declaratio quod non sunt imputanda Iudaeis *nostrorum temporum* ea quae in Passione Christi perpetrata sunt. Talis expressio differt a dictis in Catechismo Concilii Tridentini et in Summa S. Thomae (III, q. 47, a. 5 ad corpus) — scil., quod nullius ex Iudaeis tempore Christi reus erat formalis, subiectivae culpae deicidii, et quod maior pars Iudaeorum eorum temporum non erant formaliter et subiective culpabiles pro iniustitia mortis Christi. Hisce insertis, proponemus plenam veritatem, quam Iudaei sperant ac desiderant. Solo talis propositio liberabit Iudaeos ab



opprobrio quod per plura saecula illis impositum est. Caritas Christi urget nos ad talem propositionem declarandam...<sup>2</sup> Dixi. Gratias.

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> Addere possum: In exprimendo spem pro conversione Iudaeorum omniumque aliorum populorum, declaratio in linn. 23-27, transgreditur limites praecisae doctrinae catholicae. Nam in declaratione citatur textus S. Pauli ad *Rom.* 11, 25, ubi apostolus utitur verbis tam indefinitis et mysteriosis ut ipsi exegetae catholici interpretationes valde diversas proponant. Melius igitur esset, si profiteamur limitationes scientiae nostrae et vias absconditas divinae Providentiae. Melius esset si exprimamus spem pro conversione Iudaeorum, tali modo ut ipsi Iudaei percipiant nostram reverentiam pro illorum sinceritate et nostram humilem agnitionem veritatis quod mysterium salvationis dependet, non a nobis, sed a sublimi actione Dei. Ergo propono ut substituantur pro paragrapho de qua agitur sequentia verba: « Memoriam insuper dignum est unionem populi Iudaici et nostri partem spei christianae esse. Quam unionem a Deo suo tempore, modo in sua sapientia abscondito, producendam esse, Ecclesia fide inconcussa ac desiderio magno exspectat (cf. *Rom.* 11, 25-26) ». <sup>2</sup> Concludo cum suggestionem ut declaratio includit actum humilitatis et contritionis qui solus corda attrahet, et Dominus noster rogavit ab Ecclesia sua in oratione quotidiana: « Dimitte nobis debita nostra ». Declaratio de Iudaeis veraciter christiana, non potest omittere factum quod per plura saecula iniustitia et crudelitas huic populo inflictae sunt a quibusdam christianis. Modus optimus ostendendi nostrum amorem erga populum olim a Deo electum, populum a quo procedebant Iesus et Maria, populum qui etiam nunc carus est Deo propter virtutes et pietatem, consistet in hoc, quod formaliter veniam petemus a populo iudaico pro doloribus et iniustitiis quibus quidam christiani historiam huius populi maculaverunt.

## 14

EXC.MUS P. D. PETRUS SFAIR

*Archiepiscopus tit. Nisibenus Maronitarum**Venerabiles Fratres,*

In *schemate de Oecumenismo* et speciatim *ubi est* <sup>1</sup> « declaratio altera de Iudaeis et non christianis » ...<sup>2</sup>, ita de Musulmanis legitur: « qui unicum Deum personalem et remuneratorem adorant ». Et hoc optimum est quamvis insufficiens. At de iisdem additur: « et sensu religioso atque *permultis humanae culturae communicationibus* propius ad nos accesserunt ».

De hac phrasi aliquid est observandum, *quod paucissimis verbis persolvam*.<sup>3</sup>

In meo *praecedenti* <sup>4</sup> scripto secretariae Concilii praesentato ...<sup>5</sup>, sed non lecto coram Patribus, dixi a Mahometo Christum vocatum fuisse



Verbum Dei et Verbum Veritatis et Mariam super mulieres totius universi exaltatam esse. Ibi quoque innui quod Mahometus affirmavit Christum ex Spiritu Dei in sinu Mariae conceptum esse. *Non agitur ergo de sola nativitate Christi virginaliter, sed de conceptione virginali ex Spiritu Supremo.*<sup>6</sup>

Nunc vero addo quosdam Sanctos Patres, ut S. Ioannem Damasce-num et S. Maximum *aliosque*,<sup>7</sup> putasse Islamismum esse haeresim christianam. *Non considerabant Musulmanos tamquam infideles.*<sup>8</sup> Notetur praeterea quod Mu'awiah, stricta agnitione coniunctus cum Mahometo, et qui primus Califatum in Monarchiam constituit, *et cum quo Califa factus est Sovranus etiam temporalis, Mu'awiah dico*,<sup>9</sup> antequam in possessionem Imperii veniret, ad montem Calvarii se contulit orandi causa, precesque etiam effudit iuxta sepulcrum B. Mariae Virginis. Sub regno suo, Administrator aerarii Imperii atque impendiorum exercituum etiam tempore belli, erat Ibn Sargun, qui in historia vocatur « vir christianissimus », quique S. Ioannis Damasceni avus erat. Et cum eo plures christiani in illa administratione permanentes occupati erant. Ulterius, quia nuper disceptatio hic habita est de libertate religiosa, iuvat nunc recordare Mahometum dixisse: ne admittantur unquam vis et coactus in *materia*<sup>10</sup> religiosa.

*Quidquid sit de abusibus posterioribus et etiam anterioribus. Ergo religiones Extremi Orientis et aliarum regionum non sunt viciniores ad christianismum quam religio islamica. Quia haec religio islamica inter veritates credendas includit dogmata christiana.*<sup>11</sup>

Multa alia possem addere, sed haec sufficiant ad *sibi persuasum habendum*<sup>12</sup> hic non agi de *humanae culturae communicationibus* quae, in hoc contextu immerito stant ...<sup>13</sup>, sed de rebus quae Islam ad credendum proponit et ut credantur exigit. Agitur de rebus credendis, non de communicationibus culturalibus; de dogmatibus expressis agitur, non de sensu religioso. Phrasis ergo haec omnino est mutanda, *secundum meam humilem opinionem, mutanda et*<sup>14</sup> amplianda secundum ea quae supra exposui. *Non dico quod omnia sunt inserenda, sed saltem quaedam*,<sup>15</sup> ne Musulmani iuste offendantur ob ampliam expositionem de Iudaeis habitam in memorata declaratione, et ne ex offensione eorum detrimentum vel ulteriora detrimenta capiant Missiones catholicae, quae inter Mahometanos plurimae sunt.

Dico « ne Musulmani offendantur » quia notum est aversionem inter Musulmanos et Iudaeos ab antiquo existere *et semper exstitisse et nunc existere*,<sup>16</sup> et quod peius est originem suam a Corano ipso repetere. Responsiones Instituti Patrum Dominicanorum in civitate Cairensi, responsiones Instituti Rev.morum Pères Blancs in Tunisia de quibus in



Relatione (pag. 28-31) non pervenient ad vulgum Mahometanum in omnibus regionibus dispersum, sicut ad eum pervenient decreta huius Concilii quod interesse, ut dixit card. Bea, interesse in universo mundo suscitavit etiam apud vulgum et apud illitteratos.

Possum ergo concludere dicendo: Videant Consules... *ne quid Missiones catholicae detrimentum capiant.*<sup>17</sup> Dixi.

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> in. <sup>2</sup> (pag. (8) 48). <sup>3</sup> deest. <sup>4</sup> deest.  
<sup>5</sup> anno elapso. <sup>6</sup> deest. <sup>7</sup> deest. <sup>8</sup> deest. <sup>9</sup> deest. <sup>10</sup> re.  
<sup>11</sup> deest. <sup>12</sup> sciendum. <sup>13</sup> (cf. pag. (8) 48, linn. 22-23). <sup>14</sup> deest.  
<sup>15</sup> deest. <sup>16</sup> deest. <sup>17</sup> deest.

*Secretarius generalis:* Communico exitum suffragationis ultimae, nempe XXXIX:

Praesentes votantes . . . . .	2.211
Dixerunt <i>placet</i> . . . . .	839
<i>non placet</i> . . . . .	1.364
<i>placet iuxta modum</i> (ergo nulla) . . . . .	2
Suffragia nulla . . . . .	6

Textus non est probatus a congregatione generali. Manet igitur alterum comma, prout iam explicavi.

EXC.MUS P. D. IOSEPH PARECATIL

*Archiepiscopus Ernakulamensis*

*Venerabiles Patres,*

Relate ad nn. 33-34 qui de non-christianis agunt, aliqua verba proferre velim. Etiam si ea quae ibi dicta sunt libenter accipio, hoc punctum mihi videtur magis adhuc evolendum esse; nam missio Ecclesiae est praedicare evangelium omni creaturae...<sup>1</sup> et omnibus in hoc mundo vitam degentibus media salutis praebere. Quum maior pars hominum adhuc illius boni nuntii ignara manet, omnino patet quamnam gravem obligationem nos habere erga illos. Illius obligationis conscius, Sanctissimus Papa Paulus VI, Secretariatum pro non-christianis recenter instituit.

In schemate nostro, in numeris supra citatis, exhortatio fit, et quidem merito, ut cum caritate agamus erga non-christianos et etiam ibi



dicitur: « magna cum observantia consideremus opiniones et doctrinam quae quamvis a nostris in multis discrepent, tamen in multis referunt radium illius veritatis quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ».

Haec commendatio vere laudabilis est. Videtur tamen nos ulterius progredi posse et vera fundamenta quae Christi revelationem postulant in libris sacris religionum non-christianarum invenire. « Omnis creatura », ut ait apostolus Paulus, « ingemiscit et parturit » ...<sup>2</sup>, plenam expectans revelationem Filii Dei.

Hoc autem verum est specialiter de sinceris ac devotis sectatoribus religionum maiorum non-christianarum sicut Hinduismi. Libri enim eorum sacri vere documenta sunt horum gemituum ad Christum ...<sup>3</sup>. Sic in Upanishadibus, libris sacris Hinduistarum, aspirationem quidem veram ad Deum directorem et *liberatore*m detegere possumus. Iam Christum ignorantes revera eum quaerunt. Hoc de facto Spiritus Sancti operationis in cordibus gentium, multae conclusiones maximi quidem momenti pro scopo nostro sequuntur:

1. Christus his sinceris sectatoribus religionum non-christianarum non ut omnino extraneus et ignotus, sed potius ut expectatus cordium eorum, qui expectationem eorum superabundanter adimplebit, praesentari debet.

2. Conversiones propter motiva pure temporalia et per persuasionem externam sine convictione vere interna omnino dissuaderi debent. Sinere oportet ut Verbum Dei per seipsum et per exemplarem christianorum vitam influxum in non-christianos exercent.

3. In praesenti situatione imminentis periculi atheismi et materialismi, minister christianus omnem adhibere debet diligentiam et malle ut gentes potius ferventes remaneant in sua nativa religione quam omni sentimento religioso priventur. Hoc specialiter caveri debet de non-christianis qui scholas catholicas frequentant.

4. Ut Christus recte praesentetur, nos sincerum cum non-christianis dialogum instituere debemus. Hoc modo praeiudicia multa quae utraque pars haberet, evanescent. In New Delhi, India, aliquam talem conferentiam repraesentativorum variarum religionum recenter habuimus. Huiusmodi dialogus cum non-christianis videtur non tantum utilis immo etiam necessarius his diebus.

5. Ecclesia debet libenter agnoscere suam necessitatem assumendi quae in religionibus hominum ac in culturis bona sunt. Debet enim incarnari in omni cultura et in omni valore humano ...<sup>4</sup> Plures festivitates ac caeremonias ex Aegypto et Phoenicia in suum cultum Ecclesia assumpsit, leges humanas ex Babylonia accepit, philosophiam graecam



in ...<sup>5</sup> doctrina evolvenda adhibuit, organisationem administrativam Romanorum imitata est. Sic accipiendo ab eis Ipsa illis nationibus seipsam dedit easque evangelizavit. Perutile ergo erit profundius studere religionibus antiquissimis v. g. Indiae et Chinae quarum cultura et philosophia omnino originales et antiquissimae sunt. Catholicitas Ecclesiae exigit ut Ipsa colloquium cum his religionibus ineat ut earum modum cogitandi et concipiendi discens, pleniori ac modo magis intelligibili mysterium ineffabile divinum hominibus proponat.

6. Activitatem invisibilem Spiritus Sancti si in cordibus gentium agnoscamus, et omnem, Deum sincere quaerentes, Ipsi acceptabilem esse admittamus, aliquam quoque unitatem omnium Dei adoratorum in Spiritu et veritate, recognoscere debemus. Hanc unitatem, evitando scandalo necnon periculo indifferentismi, etiam externe exprimere conari nos oportet: coetus nempe studii ac orationis inter-religiosos convocando, in Ecclesiis nostris etiam non-christianos orare permittendo, et tandem activam cooperationem cum iis in re sociali, politica, culturali ac morali fovendo, hanc unitatem nunc initialiter aliquomodo exprimere possumus donec omnes servi Dei in una eius Ecclesia simul congregentur! Dixi.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> (i. e. communicare bonum nuntium redemptionis). <sup>2</sup> (Rom. 8, 12). <sup>3</sup> Si divinam providentiam in historiis harum gentium sicut in historia ipsius populi electi aliquomodo agnoscimus, libros eorum sacros, uti genuinas expressiones sentimentum religiosi, Testamentum quoddam universale appellare possumus. <sup>4</sup> positivo. <sup>5</sup> sua.

## 16

Exc.MUS P. D. LAURENTIUS IOSEPH SHEHAN

*Archiepiscopus Baltimorensis*

*Patres venerabiles,*

Cum argumenta omnia, mihi videtur, pro declaratione *de Iudaeis* fortiore iam bene pertractata sunt, observationes meas secretario generali scriptis velim submittere.

---

*Textus scripto traditus:*

Loquor in nomine fere omnium episcoporum Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis.

In genere haec declaratio nobis valde placet. Prima pars huius declarationis reapse promovere debet mutuas et amicales relationes inter Ecclesiam eiusque



filios et Iudaeos. In ea, aestimatio, benevolentia et caritas nostra erga Iudaeos ita exprimi debent ut recte intelligantur a Iudaeis ut sic bene disponatur populus iudaicus ad lucem omnis veritatis recipiendam.

E nostra parte, stricta adhaesione ad eandem veritatem praesupposita, duo principia imprimis prae oculis habere debemus in iis proponendis quibus supra dicta proposita declarationis attingantur:

1. Nihil dicendum est quod Iudaeis videretur gratuito offensivum.
2. Ea omnia aperte dicenda sunt quae necessaria nobis videntur ad fontes dissidiarum inter nos et Iudaeos de medio tollendos.

Propter haec memorata principia sequentes emendationes propono in textu declarationis:

1. Ducente principio « de non dicendo quidquid quod Iudaeis videretur gratuito offensivum », removeantur a declaratione verba in pag. 7, linn. 23-27 inclusive.

*Ratio* huius deletionis est: Omnes catholici bene intelligunt officium sibi incumbere sperandi, orandi et adlaborandi « ad accessum huius populi ad plenitudinem populi Dei, quam Christus instauravit ». Omnes etiam acatholici, Iudaeis non exceptis, hoc desiderium Ecclesiae bene norunt. Ad quid repetitio haec in nostra declaratione?

In contextu declarationis, haec verba, prolata quasi ad completum doctrinae nostrae, potius ansam praebent suspicionis a parte Iudaeorum quam benevolentiam manifestant a parte Ecclesiae. A Iudaeis, enim, verba illa recipientur, in hac brevissima declaratione, potius ut spes interitus gentis iudaicae qua talis, quam ut gloriosi culminis sortis eiusdem populi. Eo vel maius talia verba recipientur uti offensiva quum ne unum quidem verbum invenitur in tota declaratione de conversione musulmanorum aliorumve non christianorum. Siquidem iudicaretur a Patribus quod oportet explicitam facere mentionem de adunatione ad Ecclesiam omnium hominum, quos, revera, Deus vult salvos fieri, in fine et conclusione totius declarationis locus esset minus ineptus dicendi de hac re.

2. Principio altero ducente « de aperte dicendo ea quae necessaria sunt ut fontes tollerentur dissidiarum », tres emendationes fieri debere nobis videntur.

a) Omnino et ipsissimis verbis, sine ulla ambiguitate vel reservatione timida, accusatio criminis *deicidii* a Concilio Oecumenico reprobanda est.

Em. mus relator perlucide exposuit *Iudaeos*, etiam tempore Christi et in Palaestina degentes, ipsa Sacra Scriptura testante, *non fuisse formaliter culpabiles criminis deicidii*. Exinde falsum et iniustum est Iudaeis, sive collective sumptis ut populo, sive individuus, illius vel alius aetatis, tam immane crimen imputare. Iam per saecula, tamen, at diversimode, haec accusatio pars est illius massae obnubilatae idearum et passionum quae antisemitismum nutrit et fovet. In mentibus Iudaeorum nostrae aetatis haec accusatio est una ex principalioribus causis antisemitismi et praesertim istius detestatae manifestationis antisemitismi de qua processit in hoc saeculo tragaedia populi iudaici quae quidem tristis memoriae omnium nostrum est. Si Summus Pontifex non dubitavit tollere e liturgia latina feriae VI Hebdomadae II in Tempore Passionis Domini verba sat antiqua: « perfidos » et « perfidia » relate ad Iudaeos, ne perperam *interpretentur*, quanto maius nos reprobare debemus accusationem *deicidii* quae simpliciter *falsa et iniuriosa* est!

Propone, ergo, ut lin. 30, pag. 7 post vocabulum « exhibeant » addantur haec verba: « vel deicidii arguant ».



b) Propono ut in lin. 31 eiusdem paginae substituantur pro verbis « animos a Iudaeis alienare » haec verba « in animis odium aut contemptum erga Iudaeos parere ».

*Ratio* huius emendationis est — quod, intuitu supramemoratae tragaediae modernae populi iudaici, verba in textu nimis debilia sunt. Magis congrua videtur expressio continens verba quae reapse exprimunt vim antisemitismi.

c) Denique in eadem pagina linn. 28-32 ordo mutetur sententiarum ita ut sic legatur tota alinea: « Ideo curent omnes ne, sive in catechesi impertienda et verbi Dei praedicatione sive in quotidianis colloquiis, populum iudaicum ut gentem reprobata exhibeant *vel deicidii arguant neque* Iudaeis nostrorum temporum quae in Passione Christi perpetrata sunt imputentur. *Denique* caveant ne aliud quid dicant aut faciant quod *in animis odium aut contemptum erga Iudaeos parere* possit ».

*Ratio* huius emendationis est ut melior habeatur ordo in alinea, de particulis in prima sententia procedens in secunda ad generale enuntiandum principium. Aliter ultima sententia, uti habeatur in textu, videretur ac si esset quaecumque postscriptum et additum.

Praeter rationes ex iustitia et veritate, quae summae esse debent, nos, qui cum Iudaeis iam per multos annos tamquam proximis viximus, quibuscumque amicaliter convenimus, alias rationes optimas novimus pro declaratione clara, sincera, ingenua et sine ulla haesitatione a Concilio Oecumenico proferenda. Bonum Ecclesiae in regione nostra maxime pendet a bona voluntate tum catholicorum tum acatholicorum. Ut Ecclesia in his regionibus libera maneat a vexationibus quae oriri possunt a vectigalibus debilitantibus, et ut scholae nostrae — quae enumerari debent inter principaliores causas vigoris Ecclesiae in Statibus Foederatis, — a regimine civili denique recipiant assistentiam sibi debitam, in oculis concivium nostrorum nos iusti non tantum *esse* sed etiam *apparere* debemus. Ad hunc finem desideratum maxime conferret declaratio de Iudaeis in qua nihil inveniatur gratuito offensivum et de nihilo tacitum est quod clare et aperte enuntiari debet.

17

EXC.MUS P. D. IOSEPH ATTIPETTY

*Archiepiscopus Verapolitanus**Venerabiles Fratres,*

*Liceat mihi observationem sequentem facere nomine permultorum episcoporum Indiae.<sup>1</sup>*

In lin. 20, pag. 8,<sup>2</sup> dicitur: « Sic amplectamur imprimis etiam Musulmanos... ». Huiusmodi locutio videtur alio modo ponenda. Nam nos debemus amplecti eadem caritate Musulmanos ac alios, sive Hinduismo addictos, sive Buddhistas, sive Confucionistas, etc. Huiusmodi praeferebantia erga Musulmanos videtur odiosa et obnoxia aequivocis interpretationibus. Nec hoc suadet factum in schemate indicatum « qui unicum Deum personalem atque remuneratorem adorant sensu religioso atque



permultis humanae culturae communicationibus propius ad nos accesserunt ».

1. Quia plures alii homines Hinduismo addicti Deum personalem atque remuneratorem adorant et sensu religioso intimo dotati sunt.

2. Factum quo propius ad nos accesserunt Musulmani quam alii homines est mere historicum; nunc vero intendimus propius ad homines harum religionum Indiae, et Africae accedere, et etiam ipsi ad nos accedere vellent.

Proponerem ergo ut sententia mutetur hoc modo: « Sic amplectamur imprimis omnes qui Deum adorant et dotati sunt sensu religioso ut evenit inter Musulmanos, Hinduistas, aliosque perplures cultores religionum Asiae, Africae aliarumque nationum ». Dixi.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> N. 32. Placet iuxta modum. In linn. 31-32, loco « Caveant praeterea ne Iudaeis nostrorum temporum quae... », dicatur: « Caveant praeterea ne populo iudaico quae in Passione... ». Explico: nam quae in Passione Christi perpetrata fuerunt, tribuenda sunt iis personis quae eis interfuerunt. Culpa enim collectiva omnis nationis iudaicae ipso facto quod ad eam homines illius temporis pertinerent, non est admittenda nec sub aspectu morali nec sub aspectu iuridico. <sup>2</sup> 21, pag. (8) 48.

## 18

EXC.MUS P. D. DANIEL RAIMUNDUS LAMONT

*Episcopus Umtaliensis*

*Venerabiles Fratres,*

In relatione sua em.mus card. Bea ...<sup>1</sup> tam aperte honesteque *rationes propter quas in Concilio de Iudaeis tractamus*;<sup>2</sup> ut nullum amplius dubium de quaestione remanere deberet, ne in mentibus quidem eorum qui ...<sup>3</sup> adhuc repetunt quaestionem huiusmodi in Concilium introductam fuisse propter rationes (ut minimam dicam) non theologicas. Cum relatore iterum iterumque dicamus quaestionem de qua nunc agitur, nihil omnino sapere opportunismi politici vel alterius cuiuscumque rationis, minus dignae labore Concilii...<sup>4</sup>

Quoniam autem ex huius declarationis approbatione vel improbatione (sicut dixit em.mus relator) multi de Concilio bene aut male iudicaturi sunt, cumque in quantum possibile, omnis suspicio politicae rationis ulterius removenda sit, mihi videtur multum conferre si declaratio ista *de Iudaeis et de non christianis* ...<sup>5</sup> cum priore declaratione

logice uniri videatur. Talis enim nexus existit, etiam si iuxta praesentem dispositionem duarum declarationum non tam evidens apparet...<sup>6</sup>

Proinde propono ut ordo paragraphorum parum in declaratione altera immutetur, ita ut primo tractetur par. 33 ...<sup>7</sup> et immediate postea paragraphus illa « De communi patrimonio christianorum cum Iudaeis ». Tali modo materia ita se haberet: Primo « de libertate religiosa », in qua exponuntur principia de habitudine nostra versus omnes homines; secundo, quasi ex his principiis logice profluens, tractatio paragraphi ...<sup>8</sup> « Omnes homines Deum ut Patrem habent » ...<sup>9</sup>; tandem, « de Iudaeis », qui nobiscum tam intimas in historia Divinae Providentiae relationes habent.

Hoc ordine quaestionum statuto, ut mihi videtur, clarius appareret nos de Iudaeis in Concilio tractare rationibus theologicis *et his*<sup>10</sup> solis compulsi. Accedit quod hoc suaderet ordo logicus, qui a genere ad speciem viam facit.

Nec rationabiliter dicere quis posset — si Iudaeos tractandos suscipimus primo loco post omnes homines generice sumptos —, nos populum electum Antiqui Foederis nimio honore cumulare: aliud non consentit consideratio actionis Dei relate ad nos ...<sup>11</sup>. Populus electus Antiqui Foederis nonne est petra ex qua populus electus Novi Foederis praecisus est? De fratribus nostris Iudaeis in Concilio ...<sup>12</sup> non tractare, aequè absurdum esset ac historiam Europae texere nullo de Imperio Romano facto verbo! ...<sup>13</sup>

Secundo. In par. 32 ...<sup>14</sup> legimus haec verba: « Ideo curent omnes ne, sive in catechesi impertienda et verba Dei praedicatione sive in quotidianis colloquiis, populum iudaicum ut gentem reprobam exhibeant ». Optima quidem sententia, sed quaero: Numquid necesse est Concilium hanc introducere admonitionem, talibusque verbis expressam? Estne revera anti-semitismus in Ecclesia nostris diebus tam late pervulgatus, quod Concilium catechistis ac praedicatoribus minari debeat ne aliquid contra Iudaeos dicant? Hoc mihi persuasum non habeo. Immo ex propria experientia testificari possum me, cum in patria tum in terris sic dictis missionum, in catechesi aut in praedicatione, numquam audivisse Iudaeos ut populum maledictum reprobari. Insuper, certus sum inter nos hic praesentes, neminem unquam praedicasse vel praedicare permisisse talem doctrinam odiosam.

Caute ergo procedendum puto, ne dum excusamus Iudaeos nosmetipsos forsitan de culpa reos iniuste dicamus, neve saeculis supervenientibus suspicionem relinquamus hisce temporibus, Ecclesiam Dei vel episcopum quempiam repraesentantem Ecclesiam, huius criminis reum fuisse. Iidem Iudaei de hoc nos non accusant, ideoque dedecet nos ultro



gravari peccatis aliorum. Rogo ergo, ut modo diverso, clarissime tamen et sine ambiguitate ulla, desiderium nostrum sincerum, *modo magis positivo*,<sup>15</sup> exprimamus populum Iudaicum a christianis omnibus in honore semper haberi.

Liceat tandem sperare secretariatum ad fovendam unionem inter christianos, etiam post Concilium permansurum, ne opus ab eo tam feliciter inceptum, uberesque fructus iam promanantes in discrimen veniant. Dixi.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> iam exposuit rationes propter quas in Concilio de Iudaeis tractamus; et hoc. <sup>2</sup> fecit. <sup>3</sup> — nescio cur —. <sup>4</sup> Hoc nunquam satis repetere valeamus. <sup>5</sup> (nescio cur in titulo tautologismus permittitur). <sup>6</sup> Ideoque dico quod ad nostram finem attingendam melius omnino esset si nexus ille clare videretur existere. <sup>7</sup> « Omnes homines Deum ut Patrem habent ». <sup>8</sup> cui titulus. <sup>9</sup> ubi demonstratur omnes homines esse fratres in divina familia. <sup>10</sup> deest. <sup>11</sup> Nonne nos christiani spiritualiter Sem filii sumus, originemque in iudaismo invenimus? <sup>12</sup> pastorali. <sup>13</sup> Ceterum, qui hoc non intelligunt vel intelligere nolunt, nobisque imputant rationes minus dignas quod de Iudaeis in Concilio mentionem faciamus, aut veritatem aspicere nolunt aut crassam supinamque ignorantiam demonstrant historiae generis humani. <sup>14</sup> linn. 28-32. <sup>15</sup> sollemnior quo potest modo.

## 19

Exc.MUS P. D. HIERONYMUS IOSEPH PODESTÀ

*Episcopus Avellanediensis*

*Venerabiles Patres, Observatores, Auditrices, Auditores carissimi,*

*Iam saturati estis. Iam divites facti estis. Tamen cum loquar nomine plurimorum episcoporum Americae Latinae aliquid dicam de declaratione super Iudaeos. Scilicet<sup>1</sup> fatemur ideam huius declarationis nobis valde placere, tum propter formam declarationis adhibitam, tum propter textum ipsum...<sup>2</sup>*

*Forma enim declarationis characterem aliquem solemnitatis induit, consonum gravitati materiae de qua agitur...<sup>3</sup>*

*Quoad textum ipsum notari debet ipsum ditiores evasisse...<sup>4</sup> respectu prioris, anno transacto proposito<sup>5</sup>: addita nempe mentione de fraternitate universali, et speciali mentione de Musulmanis, quam certo aliqui Patres orientales non bene adprobant, atque<sup>6</sup> explicita damnatione omnis generis discriminationis, quae omnia referunt mentem*

Summi Pontificis in Encyclicis Litteris *Ecclesiam suam nuper editis*.<sup>7</sup> *Tamen, aliqua proponi possunt*<sup>8</sup> ad meliorem, *ut videtur*,<sup>9</sup> intelligentiam textus, qui legi debet et legetur non solum a catholicis, sed etiam a non-christianis ...<sup>10</sup>. *Ideo proponitur*<sup>11</sup>:

1. In linn. 31 ss. n. 32 ubi dicitur: « Caveant praeterea ne Iudaeis nostrorum temporum quae in Passione Christi perpetrata sunt imputentur » — *post verbum praeterea, addantur verba sequentia*<sup>12</sup>: « ne populum Iudaicum, ut tale, deicidii arguant neque multo minus Iudaeis nostrorum temporum » *etc., uti habetur in textu supra citato*.<sup>13</sup> Deinde ad finem huius commatis addantur haec verba, partim a priore textu schematis, nempe: « ...<sup>14</sup> in oeconomia salutis, *quae spectant*,<sup>15</sup> omnium hominum peccata, quae causa fuerunt Passionis et Mortis Domini, ipse Dominus passione et morte sua luit » ...<sup>16</sup>. Ratio utriusque additionis est: accusatio deicidii, quae etiam nunc Iudaeis imputatur aliquando acsi gens essent reprobata ...<sup>17</sup>, theologice sustineri non potest, atque magnum ut patet ipsorum Iudaeorum existimationi et dignitati damnum infert. Verba deinde inveniebantur in prima versione schematis...<sup>18</sup>

2. Melius esset enuntiationem spei eschatologicae, linn. 23-28 eiusdem n. 32 expressa, ad finem n. 33 transferre, post mentionem nempe, de aliis religionibus non christianis et de Musulmanis, textu ita immutato, ut praeter expectationem adunationis populi Iudaici cum Ecclesia in uno populo Dei, etiam exprimat desiderium coadunationis omnium populorum in uno Regno Dei. *Ratio est*: secundum apostolum in epist. ad *Rom.* ...<sup>19</sup> tota plenitudo gentium ingredi debet ut deinde « Israel salvus fiat ». Insuper, periculum est ne ista verba, in loco ubi nunc leguntur, ...<sup>20</sup> a Iudaeis intelligantur ut directa ad eorum conversionem procurandam quin nihil de aliis religionibus simile dicatur. Ex alia vero parte *expectatio*<sup>21</sup> nostrae unionis eschatologicae cum populo Israel omnino *specialis est*,<sup>22</sup> et in Novo Testamento *specialem locum obtinet*.<sup>23</sup>

Textus proponitur ut sequitur: « Ecclesia firmiter credit omnes populos vocatos esse ad unitatem in Regno Dei assequendam; hanc vero unitatem procurare, *ministerio verbi et exemplo*, praecipuum sui muneris partem esse ducit. Memoria insuper dignum est « *mysterium* » adunationis populi iudaici cum Ecclesia partem spei christianae esse ».

3. In fine n. 32 utile esset addere explicitam affirmationem ad praecavendam et vitandam quamlibet interpretationem politicam textus de Iudaeis. Haec affirmatio his fere verbis exprimi posset: « Sacrosanctum Concilium aperte declarat omnia quae hic de Iudaeis dicuntur sensum habere tantum religiosum, quin ullo modo ex politicis considerationibus originem sumpserint, vel ad politicos fines ordinentur. *Ideo neque fas*<sup>24</sup> esset hanc doctrinalem declarationem in quemvis politicum sensum de-



torquere, quasi Concilium voluisset pro vel contra aliquem in rebus politicis loqui ».

Ratio est, ut videtur sat evidens, propter implexam quaestionem Medii Orientis.

4. *Minor quaedam observatio*<sup>25</sup>: in lin. 6 n. 32, « e terra servitutis » diceretur melius « E terra exilii », ne sive Aegyptum sive Mesopotamiam (i. e. Iraq hodiernum) hoc nomine videantur affici. Gratias.

---

*In textu scripto tradito*: <sup>1</sup> deest. <sup>2</sup> qui tamen aliquibus emendationibus indigere videtur. <sup>3</sup> Melius est enim de hac re in declaratione aliqua speciali agere, quam in capite schematis *de Oecumenismo* ut prius agebatur. <sup>4</sup> sub aliquibus aspectibus. <sup>5</sup> deest. <sup>6</sup> de. <sup>7</sup> deest. <sup>8</sup> Ideo. <sup>9</sup> deest. <sup>10</sup> et quidem praesertim a Iudaeis quorum interest, et quorum est, ut probe scimus, de ipso textu magna expectatio. <sup>11</sup> Quaedam proponimus. <sup>12</sup> suo loco dicatur: Caveant praeterea. <sup>13</sup> quae in Passione Christi perpetrata sunt imputentur. <sup>14</sup> Ultimo, prae oculis semper habendum est, quod. <sup>15</sup> deest. <sup>16</sup> (cf. *Lc.* 23, 34; *Act.* 3, 17; *1 Cor.* 2, 8). <sup>17</sup> historice non bene fundatur quoad populum qua tale et. <sup>18</sup> neque videtur ratio adesse cur expungantur, sed e contra, ansam praeberet falsae interpretationi. <sup>19</sup> (11, 25). <sup>20</sup> deturpent simplicitatem intentionis istius declarationis et. <sup>21</sup> fatendum est expectationem. <sup>22</sup> specialem esse. <sup>23</sup> obtinere. <sup>24</sup> Ideoque nefas. <sup>25</sup> deest.

[*Nomina episcoporum qui adhaeserunt*] *Chile*: Silva Henriquez, Silva Silva, Salas Valdès, Valle, Valenzuela, Fresno, Castro, Tagle, Larráin, Salinas, Sánchez B., Oviedo, Yañez, Hartl, Santos, Piñera, Durán, Menchaca, Gillmore. *Paraguay*: Benitez, Bogarin, Maricevich, Sosa. *Uruguay*: Balaguer, Cabrera, Cáceres, Mendiharat, Nuti, Partelli, Viola, Baccino. *Ecuador*: Garaigordobil. *Mejico*: Méndez Arceo. *Bolivia*: Manríquez, Gutierrez. *Argentina*: Plaza, Segura, Quarracino, Pironio, Devoto, Aguirre, Tato, Zaspe, Angelelli.

## 20

EXC.MUS P. D. IOSEPH TAWIL

*Archiepiscopus tit. Myrensis, vic. patr. Melkitarum*

*Venerabiles Patres,*

Non perspiciamus definitum obiectum huius schematis neque finem. Agiturne affirmandi quod Ecclesia de synagoga orta est, quod Christus, eiusque Sancta Mater et apostoli orti sunt de populo electo, de populo sacrarum scripturarum et prophetarum? Nemo negat.

Agiturne de liberanda natione iudaica huius temporis de occisione Domini Iesu Christi? Sed Christus ipse ei pepercit et christiani omnes digni huius nomini idem facere debent. An vitare volumus quod Israelitae nostri temporis iudicentur ut responsables criminis patrum suo-



rum? Sed ipsis imputari non potest hoc crimen magis quam toti humanitati peccatum originale, plura crimina nationalia et genocidia.

An declaratio conciliaris damnare vult antisemitismum sub omnibus formis, discriminationem ortam ex stirpe vel religione etc.? Sed in hoc casu, cur tantum considerantur Israelitae? An hoc sacrosanctum Concilium non deberet etiam reverenter memoriam facere e. g. christianarum ecclesiarum « silentii » quae pro fide persecutionem patiuntur?

Sacrosancta Synodus semper insigni cura perpendit effectus suorum actuum et declarationum. Nunc vero declaratio haec benevola pro iudaeis, nonne tangit problema candens quidem et nondum extinctum? Declaratio haec nonne minatur periculosam et infelicem terram Palaestinae, ex qua iniuste et violenter expulsi sunt mille millies araborum, expoliati suis terris et domibus ab his, in quorum favorem Concilium declarationem facit? Nonne declaratio haec periculum inducit uno momento alienandi ab Ecclesia catholica totam sympathiam populorum horum? Quae utilitas in declaratione Concilii circa Musulmanos quando eorum *amicitia*<sup>1</sup> iam perdita est? Nunc vero hoc est quod Concilium persequitur? Nonne em.mus card. Bea a prima die declaravit eligendam esse praxim de ianua patenti? Hic modus agendi videtur potius claudere portam, non aperire.

Venerabiles Patres! Plura schemata, perdurante Concilio, immutata sunt, quia deficiebat character pastorale vel oecumenicum. Ex quo capite, opuscula quaedam totaliter refusa sunt. Instanter petimus a Patribus conciliaribus ut inopportunam iudicent declarationem quae grave damnum Ecclesiae inferre potest, et ab ipsa alienos facere integros populos *Musulmanos*.<sup>2</sup> Petimus denique quod votent *non placet* et quod pro declaratione hac, alia ponatur, quae antisemitismum et quamcumque aliam discriminationem damnet. Dixi.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> affectio.      <sup>2</sup> deest.

*Venerabiles Patres,*

*Parcite mihi infelici ultimo oratori.*<sup>1</sup> In novo et opportuno schemate decreti *de Oecumenismo* declaratio altera de Iudaeis et de non christianis *utilis etiam videtur esse ad vindicandam venerabilem memoriam Pii Papae XII de contumeliis super hac re nuper invecitis in mundo. Sed*



*cum haec declaratio non a sensu humano, sed a Spiritu fidei et*<sup>2</sup> *a pura caritate divina erga omnes non christianos inspirata est,*<sup>3</sup> *in cordibus eorum bonos fructus fraternitatis et conviventiae et non amarus diffidentiae* *dissentionis*<sup>4</sup> *aut etiam perturbationum politicarum, Deo adiuvante, producet non in vanum speramus, vidi cum ...*<sup>5</sup> *gaudio, in fine par. 33 ...*<sup>6</sup> *, nomen Musulmanorum nuncupatum, Musulmanorum,*<sup>7</sup> *qui non per Israel, sed per filium Agar Ismaelem tamen patri nostro communi Abrahamo connectuntur.*

Quod in hoc loco de eorum fide in unicum Deum personalem et remuneratorem, de eorum sensu religioso, de eorum ad perfectiorem gradum humanae culturae accessu *in certis regionibus*<sup>8</sup> dictum est, non est negandum. Immo, liceat mihi, in eorum laude, adiungere, multa elementa communia cum nostra, ex qua mutuata sunt, in eorum religione inveniri. Licet ignorent Trinitatem, Incarnationem et Redemptionem, attamen agnoscunt Iesum Christum tamquam *verum*<sup>9</sup> prophetam...

*Moderator:* Exc.me Pater, hoc iam dictum est ab aliis Patribus. Venias ad conclusionem, quia tempus iam transactum est.

*Orator:* ... et docent eum venturum iudicare vivos et mortuos etiam Musulmanos. Multa miracula...<sup>10</sup>, eius miraculosam nativitatem affirmant. Conceptionem immaculatam B. M. Virginis, eius puritatem et virginitatem, eius singularem perfectionem, agnoscunt et eam ut Matrem eorum cum corde devoto et sincero deprecantes, ab ea confidenter petunt et obtinent favores mirabiles, sanationes et immo dicam miracula.

Quod nunc refero non est fructus imaginationis aut exaggerationis cum spe alicuius emolumenti, sed fructus experientiae decem annorum quod vidi oculis meis in civitate Ephesina, in loco dicto Panaga Kapulu sc. Domus Mariae, Dominae Nostrae *Mariae*.<sup>11</sup> Iam abhinc decem annos, vidimus quasi centum millia musulmanorum, per annum, iungi sese eodem numero christianorum et cum eis, quod est unicus locus in mundo ubi hoc evenit, venerare Mariam Virginem, matrem Iesu!

Si his singularibus factis, adiungere possumus, Musulmanos, legem naturalem in Decalogo inscriptam, eleemosynam, ieiunia et orationem observare, hospitalitatem exercere, nobis Iudaeis viciniore eos invenire dicere licet.

Ergo, si iam feliciter, cum B. Virgine Maria et Musulmanis dialogus divinus incepit, quare nos cum eis dialogum *terrestre*,<sup>12</sup> humanum statuendum in sinceritate et caritate, cum desiderio pacifice conviventiae, cum reali libertate religiosa, in ordine sociali et politico, optare non declarabimus ut omnibus apertum sit, nos omnes fratres nostros *homi-*



nes,<sup>13</sup> filios Dei, in eadem caritate amplecti ut omnibus proficiat veritas et felicitas *vera*<sup>14</sup> a Deo promissa hominibus bonae voluntatis..<sup>15</sup>

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> deest.      <sup>2</sup> quae.      <sup>3</sup> deest.      <sup>4</sup> deest.  
<sup>5</sup> ingenti.      <sup>6</sup> pag. 8.      <sup>7</sup> inscriptum.      <sup>8</sup> deest.      <sup>9</sup> deest.      <sup>10</sup> ab eo  
facta narrant quae infeliciter ab apocryphis evangeliis desumpta sunt.      <sup>11</sup> deest.  
<sup>12</sup> deest.      <sup>13</sup> deest.      <sup>14</sup> deest.      <sup>15</sup> De modo tractandi in dialogo cum  
Musulmanis et ceteris non-christianis iam ad secretarium pro non-christianis  
animadversiones tradidi et hic pono finem orationi meae ne vobis taedium afferam.

*Moderator:* Proxima congregatio generalis crastina die, hora nona. Crastina die incipiet, post relationem, disceptatio circa schema *de divina revelatione*.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.